



368











AD.

ET

GEORG

DOMIN

ET.

DAPIFERV

H

SERENISSI

A

ΠΡΟΓ



tu Poe

Frischlini



AD . NOBILISSIMVM ET . LITTERATISS. VIRVM D. GEORGIVM · CHISELIVM

DOMINVM . IN . KALTENBRONN
ET . GANVIZ . ET . C.

DAPIFERVM . COMITATVS . GORITIANI
. HEREDITARIVM

SERENISSIMO . ARCHIDVCI . CAROLO
A . CONSILIIS

ΠΡΟΓΡΑΜΜΑ . AVCTORIS



VI dono lepidum nouum
libellum?
Dentata strigili modo ex-
politum?
Chiseli, tibi. namque
tu Poetae
Frischlini ingenium colis, measq.

Soles esse aliquid putare chartas.
Ergo assis mihi, & hunc uide libellum,
Dentata strigili modo expolitum:
Vt, quas Grammatici dedere labes,
Quas nugas docuere nugiuendi,
Noris; & maculis quot obsoletis
Priscam polluerint Latinitatem.
Nam nos hac Strigili (uides ut ipse)
Centum extersimus, haud sine arte, labes.
Quod si tu prius esse credidisti
Meos umquam aliquid boni libellos:
Eia habe tibi quidquid hoc libelli est,
Dentata strigili modo expoliti:
Measq. esse aliquid putato chartas.

Venetijs. Id. Septemb. ∞ D XXCIII





ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ





ETSI *studui hucusque, apud me pluris esse nomen boni uiri, quam doctrinae famam: propterea quod omnem ingenij mei facultatem, quamlibet ea perexigua sit, ad utilitatem communem conferendam esse, semper iudicaui: tamen paucorum hominum, siue inscitia, siue potius malitia, non sinit me propositum meum tenere. Nam, quoties teneram iuuentutem in scholis intueor, (intueor autem quotidie) & quoties perniciem librorum, qui illis ediscendi traduntur, apud ani-*

mum meum perpendo : ſemper in dubio ſum, utrum praeceptorum, quos inſanabile tenet ſcribendi cacoethes, immoderatam potius deteſter peruicaciam; an immerentis pueritiae damnum irreparabile, mecum, & cum alijs ſanioribus deplorem. Etſi enim noſtrarum ſcholarum magiſtri, praeſertim illi, qui ſe Grammaticos profitentur; & qui artis Grammaticae regulas iuuentuti praeſcribunt; iam olim a Laurentio Valla, & ſuperioribus annis, ab incomparabili uiro, Julio Caeſare Scaligero, de nugaciſſimis nugis ſeueriter, & grauiter ſunt admoniti: tamen ex omni ſcriptorum numero ne unum quidem hodie uideas, qui de uno errore, nedum de omnibus, e libro ſuo tollendis, in hunc uſque diem ſerio cogitauerit. Humanum eſt quidem, labi, errare, decipi. At inhumanum eſt, ſuum lapſum, erroremque, nolle agnoſcere. Longe uero omnium eſt inhuma-

humanissimum, in errore suo non modo persistere, sed etiam incautam pueritiam in societatem eorundem errorum perducere. Hoc adeo illis accidit, qui alios ea docere hodie aggrediuntur, quae ipsi nondum didicere: & qui artem aliquam conantur regulis comprehendere: nullam ipsi edocti Methodon, nullam experti Philosophiam. Nisi enim caussas rerum intelligant, easq. e penetralibus Philosophiae praedidicerint: quomodo eas scire, aut alijs per modum scientiae tradere possint? Atque, ut nihil dicam de cuiusque scientia, & eruditione, quanti ea sit: an non suum quemque artificem opus commendat? Certe haec una res est, quae me praecipue ad hanc Strigilem conscribendam impulit: quod male feriati Grammaticuli, & qui in hac arte propemodum consenuerunt, a nemine se hodie moneri patiuntur: ipsi sibimet, & alijs satis superq. sa-

pere, ſeſe arbitrantur. Quamquam autem certus ſum, abſque illorum conuicio nihil a me poſſe ſcribi, quamlibet uerum, ac bonum ſit: tamen a meo propoſito nihil ob eam rem deterreor. Cum enim famam uulgi, & indoctorum hominum applauſum non quaeram, ſed commodum Reip. litterariae, & quod poſſit prodeſſe uniuerſis: iccirco nihili faciam Grammaticulorum de meis, in hac arte lucubrationibus, peruerſa, atque inerudita iudicia. Si enim dicat aliquis, ut ſunt homines nunc argutuli, licuiſſe mihi peculiarem pro me, meisq. pueris Grammaticen conſcribere; nefas autem eſſe, ut aliorum labores eadem opera reprehendam: huic ego ſic reſpondeo: Abſit a me, ut, quae ab alijs recte in hoc genere ſunt elaborata, atque ad utilitatem communem comparata, ego temere reprehendam. Cur enim laudibus aliorum quid-

quam

quam per me detrahatur: qui numquam aliorum uituperijs, ſed ſemper meliorum laudibus mihi laudem hucuſque conciliaui? Sed & hoc abſit a me: ut, quae ab alijs praue dicta, & ſcripta ſunt, quaeq. ad communem perniciem ſpectant, ea ſilentio meo approbem: ac non potius ueriſſimis rationibus e medio exterminem. Quod enim naſuti quidam dicturi ſunt, me nimis eſſe propenſum ad reprehendendum aliorum ſcripta: hoc nihilo me plus mouet, quam uulgi querimoniae de quibuſdam, qui nihil aliud ſtudent, nihil curant magis, quam in aliorum hominum mores inuehi. Si enim iuſtae ſunt meae reprehenſiones, ſi accommodatae ad bonum publicum, ſi ad officium meum pertinentes; (ſum enim Grammaticus & plus, rumpantur ut ilia Codro) cur non audacter ueniam in publicum: & uitia aliorum Grammaticorum reprehendam? aut

cur


cur pueritiae Germanicae praua non commonstrem, ut habeant ob oculos, quae debeant uitare & fugere? Videmus certe in omnibus rebus ita hodie comparatum esse: ut, quae non refelluntur, & improbantur, ea uulgo pro ueris & habeantur, & apprehendantur. Quin immo Grammaticorum nostrorum tanta est peruicacia, ut sua figmenta ausint iactare pro ueris, pro antiquis, pro uetustate confirmatis, longoq. usu receptis: nostra uero praecepta pro falsis, pro nouis, pro fictis, pro inusitatis. Ut ergo omnes boni, ac docti intelligant, iustissimis de caussis hunc laborem a me esse susceptum: sumam ego in manus duos notissimos libellos artis Grammaticae: qui hodie in plerisque Germaniae scholis, pueritiae ad uerbum ediscendi proponuntur. Habentur enim hi uulgo pro optimis, & studijs adolescentiae longe accommodatissimis. Ostendam autem

tem

tem hoc libro aliquot centena manifeſtiſſimorum errorum, qui in illis nuper natis libris continentur: progrediendo a craſſiſſimis, ad eos, qui non ſunt ita manifeſti: niſi forte doctioribus, quam ſunt noſtri Grammatici. Neque eſt, ut miretur quiſpiam, cur STRIGILIS *nomen huic libro ſit inditum. Nam, ubi ad hoc nomen in progreſſu fuerit peruentum, cauſſa ſtatim ex ijs apparebit, quae contra ſoloeciſmos Grammaticorum, in hac uoce commiſſos, a me proferentur. Primo autem examinabo Etymologiam noſtrorum hominum. Nam in hac tradenda plus operae, & laboris, quam in alijs Grammaticae ſpeciebus, ſibi ſumpſerunt. Deinde Syntaxim percurram. Poſtremo, Orthographiam, & Proſodiam: in quarum altera nimium muti, in altera pluſquam uerboſi fuerunt Grammatici.*



TRACTATVS PRIMI



De Etymologia Nominum. Cap. I.



VONIAM nulla pars orationis, ut ipsi uocant, seu species dictionis Latinae, recte a nostris Grammaticis est definita: nulla in suas differentias secundum uarios dictionum significatus diuisa: nulli item sua accidentia, siue affectus probe assignati: iccirco nos istarum rerum considerationem, ad finem ultimi Tractatus reijciemus. Nam in uestibulo huius examinis, satis erit crassissimos tantum errores Grammaticorum obiter, & quasi indice digito cōmonstrasse. Igitur comparationem (quam ipsi inter accidentia Nominum referunt) faciunt regularem, & irregularem: & hanc quidem quadruplicem: scilicet nominum quorundam simplicium, & compositorum, & praepositionum, & aduerbiorum.

rum. Inter nomina ſimplicia, quae comparentur irregulariter, recenſent ipſi haec tria, potis, nequam, & uetus. Errant autem manifeſte. Nam potior, & potiſſimus eadem forma trahuntur a potis, pote: qua ueniunt fortior, & fortiſſimus, a fortis, forte. Et ueterior, ueterrimus, non a uetus, ſed a ueter ſua comparatiua, & ſuperlatiua deducunt: Item, nequior, & nequiſſimus, non a nequam deriuantur, ſed ab antiquo nequus, quaſi dicas non aequus. Quare non neceſſe eſt Comparatiua & Superlatiua dici irregularia, ubi Primitiuum (ipſi Poſitiuũ appellant) ab analogia & conſuetudine nonnihil recedit. Hoc qui neſcit, is fateatur ſe ignorare litteras. Verum obſecro uos, o uos male feriati Grammatici: cur Praepoſitiones & Aduerbia refertis inter comparabilia nomina: cum tamen non ſint nomina? aut, ſi comparationem ſoli nomini creditis competere, & nõ itidem praepoſitionibus: (neque enim recenſetis inter accidentia Praepoſitionis comparationem) cur adeo inſanitis, ut etiam Praepoſitiones dicatis, more Nominum poſſe comparari? Reſpondebitis mihi, irregulariter hoc fieri? Certe, ſi ueſtras regulas conſideratis, fiet ſatis irregulariter. Sunt enim admodum irregulares ueſtrae regulae. Ego autem uos docebo: quod exterior, extimus, ſiue extremus: ulterior, ultimus: ſuperior, ſupremus, & ſimilia, regulariter formantur a ſuis primitiuis nominibus, perinde, ut alia nomina comparatiua & ſuperlatiua a ſuis. Nam, quis adeo remotus eſt a Latinis litteris, ut neſciat a Pa-

pinio dictum esse, Exter honos; a Catone, Vlter, & citer? aut quisquam Grammaticus, mediocriter uersatus in hac lingua, ignorat, hodie quoque usitata esse Nomina, posterus, superus, inferus, nuperus: pro quibus antiqui dixere, poster, super, & nuper? Et quomodo ab exter, citer, ulter, anter, inter, antiquis nominibus, non perinde formetur, exterior, citerior, ulterior, anterior, interior: atque a miser formatur miserior? Aut quomodo a posterus, superus, inferus, usitatis nominibus, non aeque formantur secundum regulam, posterior, superior, inferior, atque doctior, albior, candidior deriuantur a doctus, albus, & candidus? Quid? an ideo a Praepositionibus deducenda sunt haec comparatiua, & superlatiua: quia extremus, postremus, supremus, per syncopen dicta sunt, pro exterrimus, posterrimus, superrimus: ab exter, poster, & super: sicut a nuper, nuperrimus; a ueter, ueterrimus; pro quibus hodie dicimus, nuperus, & uetus. Quid? an tam nomen, propior, aliter formabis ab antiquo propis, prope: quam fortior, a fortis, forte? Equidem, uls, ultis; cis, citis; usitata fuisse iam olim nomina, docent, Verrius, Varro, & Pomponius de Orig. Iuris. Cur tu ergo non hinc potius deducis Superlatiuos, ultimus, & citimus: quam a praepositionibus, nullo modo comparabilibus, citra, & ultra? Nam, etsi obsoluerunt nunc olim primitiua, tamen adhuc in usu sunt, quae inde nunc olim deriuata sunt. Retineamus igitur primam, & antiquissimam deriuationem: neque commentemur

nouam,

nouam, atque absurdam. Sed, quid non audeat indoctum Grammaticorum uulgus: qui etiam Aduerbia dicunt irregulariter comparari: & quidem eodem in loco, ubi agitur de comparatione nominum? Quid uero? an prior & primus non formantur ab antiquo pris? & an hoc non pulchre iampridem docuit Iulius Scaliger, in libro, de caussis linguae Latinae scripto? Quae autem caussa est, cur dicant illi deterior & ocyor carere positiuo, seu primitiuo? cum ueteres non minus dixerint deter, quam taeter: ocys, quam fortis? Sed sapiunt tamen, cum addunt, a Graeco positiuo ὠκὺς formari ocyor, ocyssimus. Ita enim scribere debuerant. Venio nunc ad Genera Nominum, & Regulas, unde ea cognosci debent. Quinque generibus Nominum addunt isti Epicaenũ, seu promiscuum, & dubium. At nullum esse Grammatico genus promiscuum num olim, Belgarum ille, & Hispanorum doctissimus, demonstrauit L. Viues? Dubium uero cur introducant, caussam ego non uideo. Nam eadem ratione possum dicere finem, diem, corticem, pumicem & similia esse communia: id est, utroque genere usurpata, masculino, & feminino: qua ratione dico, sacerdotem, & uatem esse communis generis? Non enim ideo sunt communis generis, quia tam feminae, quam uiro competunt. Nam hanc definitionem esse falsam, nos infra ostendemus: propterea, quod multa sunt eiusmodi Nomina, quae tam muliebribus, quam uirilibus possunt attribui officijs: sed communis tamen non sunt generis:

eaq.

eaq. non niſi uno tantum genere uſurpata ab au-
ctoribus, inueniuntur. Quid? quod Grammati-
cum oportet, de genere cuiuſque Nominis certum
eſſe, non dubium? ut taceam interim quod in illis,
quae dicunt dubia, fere ſemper alterum genus vide
tur eſſe ἀρχαικὸν, & minus uſitatum; alterum uero
uſitatius. Quin immo ipſa ſignificatio alicuius
uocabuli, alia uidetur in feminino, & alia in maſcu
lino genere eſſe intelligenda. Age uero, condo-
nemus iſta Grammaticis: & nunc deinceps Regu-
las de Nominum generibus examinemus. Nam
in his recte cognoſcendis, aliquid maioris momen
ti poſitum eſſe dicunt Grammatici. Eſt autem pri
ma Regula, de Maſculini Generis Nominibus: in
qua non recte omittuntur Nomina mōtium. Sunt
enim & haec pleraq. Maſculini generis: perinde
ac fluuiorum Nomina. Perperam quoque a ſe-
cunda Regula excluduntur Nomina Regionum,
& inſularum, quae non minus feminina ſunt, quã
urbium & arborum nomina. Sed & uitioſe omit-
tuntur ex Tertia Regula Nomina metallorum,
quae & ipſa ſunt generis Neutri. Ac niſi per fru-
ctus etiam intelligantur legumina & alia terrae na
ſcentia: erit Regula iſta generica ualde manca,
& mutila. Sequitur Quarta Regula, de Nomini-
bus, quae ſunt Generis Communis. Dicunt enim
noſtri homines ea eſſe generis Communis, quae ui
ris, & mulieribus pariter conueniunt. Hoc quam
uere dicant, accuratius perpendendum eſt. Equi-
dem multa ſunt uiris ac mulieribus pariter com-

munia: quorum tamen Nomina non sunt communi genere usurpata. Militem, equitem, ducem esse, perinde contingit feminae, ac uiro. Nam & Dido fuit dux & Camilla; & milites atque equites fuere Amazones; & Hebe pincerna Iouis. Sed quis umquam legit horum, & similium, Nominum aliquod feminino genere positum, in oratione siue constructione? Ducem clarum, dixit Horatius, inuictum Silius, magnanimum Virgilius, improuidum Cicero. Militem impium dixit Virgilius, dirum Seneca, infandum Lucanus: equitem alarium Tacitus & Caesar, egregium Iuuenalis, numerosum Claudianus. Eant uero omnes Grammatici, & omnes ueteres bibliothecas euoluant: quaerantq. an similia attributa horum Nominum in feminino genere inueniant. Eant, inquam, & in libris quaerant, an ducem claram, equitem egregiam, militem impiam alicubi reperiant. Et quae, malum, est haec amentia: quod dicunt Hominem tam feminini, quam masculini esse generis? Nimirum, quia tam de femina, quam de uiro praedicatur homo, in Dialectica? Quid ergo? an non etiam animal praedicatur de homine, & caput de uiro, quod sit caput mulieris: & salus de principe, quod sit salus sui populi: aut quod lumen, aut columen? An autem tu propterea dices, animal esse generis communis, quia tam feminae, quam uiro conuénit? an dices, ista omnia attributa, respondere suis subiectis in pari genere? At proferunt isti exemplum, e Sulpicij Epistola ad Ciceronem: Quoniam

homo

homo nata fuerat. Ego uero dico, participium Nata, non conuenire cum ſequenti Nominatiuo, homo: ſed cum praecedente Tullia: de qua loquitur Sulpicius. Nam perinde dicitur, Tullia fuit nata homo; non natus: ſicut dicitur, Chriſtus eſt factus uictima, non facta: & ſicut dicitur a poeta: O mihi perpetuum nata puella malum. Hoc ita eſſe nemo non uidet, niſi qui cum Grammaticis noſtris cucurbitas lippit. Bonum & probum hominem a Latino ſcriptore dictum eſſe memini: bonam uero & probam hominem nuſquam ſcriptum reperi: Tu, ſi legiſti, quiſquis es de Grammaticorum grege: age agedum, mihi in memoriam reuoca. Niſi enim feceris, dico ego falſiſſimam eſſe regulam de Nominibus Communis generis: & exempla, quae ſubiunguntur eſſe nugaciſſima. Ideoq. ueto & interdico meis pueris, ne tecum ineptiant: neu probam, aut honeſtam hominem dicant, quae honeſta ſit femina. Facete mihi hoc loco in mentem uenit: quod puer Optimae indolis aliquando reſpondit, de genere tuſſis, interroganti: Tuſſem eſſe Generis communis, quia tam feminis, quam uiris pariter conueniat. Nimirum hac ille Regula fuit deceptus. Ceterum Regulam de Communibus ſubſtantiuis, quae uariata tam feminae quam uiro competunt: ut dominus, domina: rex, regina: equus, equa: lupus, lupa &c. hanc, inquã, Regulam, ueluti otioſam noſtri Grammatici praeterierunt, ſatis oſcitanter. ſicut etiam duas Regulas de Adiectiuis Nominibus, quas regulas

noſtri pueri, melius e noſtris praeceptionibus addiſcent. Septimam & Octauam Regulam de Epicaeni & Dubij generis Nominibus, tamquam friuolas, & nugaces reijcimus. Inprimis autem uerſus illos futiliſſimos, quibus Dubij generis nomina comprehenduntur in alterutra Grammatica. Quis enim nomen aluus, aut nomen crux, aut nomen forceps, Maſculino genere uſurpari umquam legit? aut quis obicem dici feminino genere uſpiam reperit, niſi in uno corrupto loco Virgilij, ubi magna obice, pro magno, uitioſe ſcriptum eſſe, Seruius docuit. Et profecto pulchrum eſt, quod primam ſyllabam in hac uoce, contra omnium poetarum morem corripiunt iſti Grammaticuli. Multoq. elegantius, quod haec correptio longae ſyllabae ſtatim in ſequenti compenſatur productione breuis ſyllabae, in uoce Sardonyx. Frontem quoque, aut ſtirpem, aut ſcobem, Maſculino genere dici, quis umquam audiuit?

Sequuntur Regulae, quas iſti uocant Speciales: ubi iterum in prima ſtatim fronte, ex Maſculinis: incola, aduena, terrigena, uerna, homicida: fiunt communia. Sed hoc leue eſt prae illo, quod dicũt Genitiuos, frugi, nauci, nihili, mancipi, eſſe indeclinabiles, & generis omnis. Nam tot hic ſunt errata, quot uerba. Quomodo enim nihili ſit indeclinabile, cuius obliquos uſurpat Perſius in hoc uerſu:

De nihilo nihilum in nihilum nil poſſe reuerti.

Et quomodo ſit Generis omnis, quod neutro tan-

tum

tum genere effertur? Dicimus enim, homo nihili, quasi de nihilo, perinde ac si dicas: homo nullius pretij. Sicut uicissim dicunt Latini: Res alicuius momenti: uir magni pretij, magni ponderis. At quis tam uaecors est, qui dicat Genitiuos hos, momenti, pretij, ponderis esse indeclinabiles, & generis omnis: propterea, quod loco Adiectiui nominis iunguntur cum substantiuo, per Ellipsin uerbi, est? Idem esto iudicium de Genitiuis frugi, pro frugis, & nauci, ab antiquis Nominatiuis frux & naucum, uel naucus: quo significabatur nucis putamen. Nam in alijs τὸ frugi, Datiuus est. Eadem namq. forma dicimus esse frugi, qua dicimus, esse laudi, esse commodo. Ceterum mancipi & mancupi, per Apocopen dictum esse, pro mancipij & mancupij, non est dubium: quando etiam peculi pro peculij, tuguri pro tugurij, negoti, & oti, pro negotij, otij: consili pro consilij: auxili pro auxilij, frequenter Latini dixerunt. Illud uero quid est amentiae, quod Il faciunt isti terminationem Nominis Nihil: non intelligentes, Nihil per Apocopen dici, pro nihilum: & Nil, pro nilum: qua uoce utitur Lucretius? Et quanta inscitia est dicere Masculinum nomen esse Strigil? Nam primum in il hoc nomen non desinit, sed in is: ut, haec Strigilis. Itaque ne Latinum quidem nomen est, Strigil: nedum masculini generis. Plautus enim rubiginosam dixit strigilem, ampullamq. rubidam, in Sticho. Et Cic. lib.4. de Fin. Ampulla (inquit) aut strigilis accedat. Horat. Furtiuae meminit stri-

gilis. lib. 2. Serm. Sat. 7. Atque haec caussa fuit, ob quam ego huic libro Nomen Strigilis indiderim. Quoniam uidi, nostros homines tam genus, quam terminationem huius uoculae ignorare. Neque uero alio remedio indiget nostrorum Grammaticorum scabies, quam acuta strigili: quam sordes & immunditiae illorum detergantur. Pugil & Vigil, masculina sunt, non communia: pertinentq. ad primam Regulam Generalem. Nam quod curae dicũtur uigiles, perinde fit, sicut littera dicitur sermonis ministra ab Ouidio: aut, Gloria, calcar uirtutis, aut opes irritamenta. Nomina item in OL & VL ad Regulas generales pertinent: & quidem ad Primam: non autem ad Quartam. Praesul enim uirilis officij nomen est: quod feminae ut non competit, ita de femina non dicitur. Exsul etsi de femina quoque dici potest, sicut homo de Tullia, & animal de homine: tamen pro communi non haberi potest, eo quod, non perinde scriptum legitur, uaga exsul: sicut dicimus, uagus exsul. Sed quid hoc est tumultus, quod syllaba Em ponitur pro terminatione Nominatiui. Quid? an non composita sunt tantundem & totidem: sicut, idem & & eadem. a tantum, tot & syllabica adiectione dem, pro demum? Nam totidem i interponit, uitandae asperitatis caussa. Et cur neutrum sit tantundem, cum Plautus dicat in Truculento: tantundem dolum aggrediar? Et in Poenulo: Malo benefacere, tantundem est periculum, quantum bono malefacere? Quo in loco adiectiue usarpatur:

pro,

pro, aeque tantum eſt periculum. Verumenimuero, tantundem ſummam etiam Vlpianus dixit: & tantidem ponderis petitionem Pomponius. Ex quibus manifeſtum eſt, inſanire Grammaticos, qui genera Nominum adhuc neſciunt: & nihilominus alijs praecepta huius artis non uerentur praeſcribere. Quot ſint otioſae exceptiones Nominum a Regulis ſpecialibus, pertinentium ad regulas Generales, quid attinet pluribus dicere? Vide Exceptiones Nominum in Er, Or, & Es creſcētium Genitiuo: Vide, inquam, & diſpice. Male ſit mihi, niſi dicas, pleraq. ad Regulas Generales eſſe referenda. Cur enim degener, pauper, uber, bicorpor, diſcolor, memor, diues, hebes, praepes, perpes, inquies, deſes, reſes, ſuperſtes, teres, bipes, tripes, quadrupes, non ſint Adiectiua trium Generum, ſeu omnium Generum: cum tamen haec Nominibus ſubſtantiuis omnium Generum iuncta eſſe reperiātur? Pauper tugurium dixit Virgil. pauper tectum Horatius: & dixit uterque in concreto: eadem forma, qua adiectiuum de ſubſtantiuo ſolent dici: non ut abſtractum de abſtracto, ſeu ſubſtantiuum de ſubſtantiuo: quale illud eſt, dux femina facti: Tullia homo: homo animal prouidum. Vulgus Grāmaticorum iſta pro ſubſtantiuis habet: & generis communis eſſe iudicat. Sed miſſa iſtaec faciamus: ut quae praeceptionum cumulum uideatur augere, & cum ratione pugnare. Canalem cur inter dubia referant, quid obſecro cauſſae eſt: cum nemo ſit auctorum, qui in feminino genere hoc no

men umquam protulerit? Est uero eiusdem farinae Nomen, Camelus: quod isti communis esse Generis affirmant. Sane Camelus, animal, masculini tantum est Generis, licet apud Graecos communi genere usurpatum inueniatur, & feminino fere crebrius, quam masculino: ita, ut non parua me teneat admiratio, quamobrem Grammatici hic obliti fuerint. sui Epicaeni. Municeps, dux, & princeps, cur inter communia referri nequeant, caussam ante exposuimus. Nam Adiectiuum feminini generis, nusquã eis attributum esse memini: sicut uideo attribui uati, comiti, sacerdoti aut similibus. Porro e nominibus, quae finiunt Ex, iterum Communia faciunt: quae tamen masculina sunt, ut, exlex, index, iudex, uindex. De dubij Generis Nominibus, falso allegatis, ante est dictũ: cuiusmodi sunt, forceps, obex, crux. Et cur obsecro coniunx scribunt, sicut phalanx: ac non potius coniux, cum sciant coniux in Genitiuo scribi coniugis, & coniugem non a coniungendo, sed a coniugando descendere: quemadmodum & deriuatiuum a cõiuge, non coniungium, sed coniugium dicitur? Sed hoc ad Orthographiam pertinet: de qua suo loco. Proxima nunc se offert figura Nominum: quam alteri ex istis faciunt triplicem. At nullã esse decompositam demonstrat Iul. Scaliger, libro ante citato. Aut si sit, alio exemplo fuisse declarandam ait, quam nomine, Experientia. Hoc enim deriuatum est ab Experiens: non decompositum. Rectius dixissent, decomposita esse haec: inexpugnabilis,

bilis, imperterritus: sicut in uerbo afferent exempli loco decompositum uerbum, Perterrefacio. De Casibus, eorumq. definitionibus alibi monebimus. Nam istas nugas penitissime confutauit Caesar Scaliger. Venio ad Declinationes: in quarum prima ponunt, loco paradigmatis, Musa: uocabulum Graecum a communi consuetudine loquendi remotum, atque e penetralibus Ethnicae Theologiae petitum? Quis enim nescit Musas fuisse cultas & adoratas pro Deabus, & patronis Poetarum? Sed, ut huic ineptiae fucum quaerāt Grammatici, en alia longe stolidiori ineptia priorem accumulant. Interpretantur enim Musam, pro inuestigatione, quasi idem sit, quod Germanis dicitur, ein erforschung. Quid uero? an non erat melius, e medio petere aliud exemplum commodius & peruulgatum, magis pro paradigmate: quale est mensa, aut fabula, aut simile. Verum ignoscamus hanc κακοζηλίαν nostratibus Musophilis. Illud quomodo excusabunt, quod casui uocatiuo, interiectionē exclamantis o: & Ablatiuo praepositionem ab, tam quam indiuiduos comites adiunxerunt: perinde ac si uocatiuus non sit, nisi addatur o interiectio: neque ablatiuus, nisi addatur ab praepositio. At ego animaduerti longo usu, quod pueri his notis in errorem seducantur, ita ut uocatiuos & ablatiuos esse, primo intuitu non credant: quibus ista signa non sunt addita. Pronomen uero, ut loco articuli adijciatur, nihil est necesse: cum Latina Nomina careant Articulo: & cum satis sit, nomen inflectendo

flectendo per ultimas syllabas uariare, & cuiq. terminationi suum casum, seu nomen Casus assigna re posse. Longe enim expeditior est (nisi omnes me sensus fallunt) ista declinandi ratio: longeq. ad percipiendam Syntaxin, & ad dignoscendos casus accommodatior: quam quae ab istis traditur. Secundae declinationi, inter alias terminationes, etiam ur tribuunt: propter unicam uocem satur, quae tamen per Apocopen sic dicitur pro saturus. Nam ur tertiae Declinationis terminatio est: ut, fur, furis: cicur, cicuris: turtur, turturis: furfur, guttur, ebur, iecur, uultur, &c. Quod autem superlatiuum est saturrimus pro saturissimus, nihil me mouet: cum etiam maturrimus sit superlatiuum a Nomine maturus. Vir autem, cum & ipsum sit unica dictio, quae ir finiat, non parit nobis uniuersalem terminationem: qualis est terminatio er, us, aut um. Et sane per Apocopem dictum potest uideri: ne idem sit, cum nomine uirus, quod uenenum significat. Sed ob unicam terminationem nolo litigare cum quoquam. Illud non possum non, merito, reprehendere: quod dicunt haec tria, agnus, fluuius, & populus habere parem Nominatiua uocatiuum: neque tamen exemplis, quod dicunt, cōfirmant: neque rationem ullam diuersitatis afferunt. Cur enim non dicam potius: fluuie, popule, agne: sicut Graeci dicunt, ποταμὲ, λαὲ, ἀγνὲ: quā o fluuius, o populus, o agnus? In Tertia declinatione, nihil est taediosius, quam Genitiui singularis conformatio. Nos breuitati studuimus, quātum licuit.

licuit. Censemus enim pleraq. usu, & quotidiana siue auscultatione, siue lectione bonorum auctorũ addisci melius & expeditius, quam regulis. Sed occurrit tamen in alterutro libro, ex uulgatissimis, quos dixi, mendum non praetereundum. Nam in Nominibus, quae is finiunt, inter alia Nomina ponitur, haec semis, huius semissis. Falsissimũ hoc. Semissis enim masculinum est, habetq. parem Nominatiuo Genitiuum. At semi indeclinabile est, a Graeco ἡμι ortum: magisq. aduerbium est, quam Nomen. In reliquis Duabus Declinationibus nihil occurrit, quod ego reprehendam: nisi falsa obseruatio; ubi dicunt isti Genitiuos Quinctae Declinationis olim per Synaeresin fuisse cõtractos, ut fidei, diei. Atq. hoc ut probent, adducunt Virgili uersum; Libra diei (sic enim legunt) somniq. pares ubi fecerit horas. Miror socordiam istorum hominum, qui nondum e Gellio didicerint, ueterum aetatem sic declinasse: Haec facies, huius facies: haec dies, huius dies: & Virgilium omnino sic scripsisse. Transeo ad Nomina Anomala: inter quae primo ponuntur defectiua, seu deficientia alterutro Numero. In his percensendis adeo negligentes, adeo confusi, & inordinati sunt nostrates Grammatici: ut, quae Nomina uere sint tantum singularia, aut tantum pluralia, & quare non possint etiam alterutro Numero efferri: ne ipsi quidem scire, nedũ alios docere posse uideantur. Sed, quoniam uersibus inclusere ista anomala Nomina, & ea secundum Genera sua distribuerunt in certas differen-

tias:

tias: (quae tamen diuidendi ratio cum proprijs de fectionũ caussis haud quaquam cõgruit) nos in singulis uidebimus, quid ueri aut quid falsi insit. Rorẽ inter singularia referunt, caussas ego non uideo. Nam si uentos, & pluuias, & pruinas dicere licet: cur non etiam rores dicamus? Certe ita apud probatos auctores inuenire est. Nomen Aluus esse, aut potius dici singulare tantum, ex eo conijcio, quia non est, nisi una in quolibet animali aluus. Sed inter Nomina Masculini generis recte referri, id uero pernego: quandoquidem generis feminini est, neque alio genere quispiam probatus auctor umquã usurpauit. Vt cur Almus, Nomẽ adiectiuum, sit singulare tantũ? An non Horatius Musas dixit almas: & Alma adorea: & Virgilius, Vites almas? Penus itẽ Masculinum an nemo in plurali extulerit, uehemẽter dubito: cum perinde dicere liceat penos, sicut dicimus cellas, & cumeras, & panaria. Nam etiam Columellam uideo dixisse penora. Cur igitur non liceat idem nobis in Masculino genere, quod illi licuit in Neutro? Et Gaza cur ex femininis sit singulare tantum, quid caussae est? An quia barbarum & Persicum nomen, solo singulari numero usurpatũ est a Cicerone & Virgilio? Quid uero, si Persae tã plurali numero dixerunt gazas, aut etiã gaza genere Neutro, quam dicunt Latini diuitias, & Graeci thesauros? Tussis singulare esse intelligitur, quatenus de mea, tua, & alius tussi, κατ' ἴσον praedicatur. At cum de actu & crebris tussitionũ iterationibus accipitur potest etiam esse plurale. Sic apud Teren

tium

tium legitur: Gemitus, ſcreatus, tuſſes, riſus abſtine. & apud Plin. Tuſſes concoquere. Sed demus ſane hoc etiam Grammaticis, tuſſim ideo ſingulare tan tum eſſe, quia ſit genus unius & certi morbi. Quid uero de Culpa reſpondebimus? Numquid culpa eſt ſingulare tantum, quia plerumque de uno tantum, & peculiari crimine accipitur? Minime omnium uero. Vbi enim ſunt plura crimina, & plures aucto res: ibi etiam plures concurrunt culpae. Itaque pro prie dixit Cicero: In hoc uno genere inſunt omnes culpae, iſtius maximae auaritiae, maieſtatis, demē tiae, libidinis, crudelitatis. Poteſt igitur culpa dici de ſingulis criminibus; culpae autem de uniuerſis. Et quare pedum ſit ſingulare tantum? An non poſ ſum dicere de quattuor opilionibus, quod quat-tuor habuerint peda; ſicut de duobus regibus, quod duobus inſederint ſolijs? & de duobus auguribus, quod duos habuerint lituos? Quid enim aliud me prohibet, niſi uſus, cōtra rationem manifeſtam pu gnans? Penus, neutrum, in plurali dici penora, iam ante e Columella docuimus. Quis porro ſit e timi dis, qui, cum unum auſit dicere halecem, nō etiam dicat plures haleces? Sequuntur pluralia Maſcu-lina, ex quibus nego eſſe pluralia tantum; Lares, (nam de uno lare, lar dicitur) Pugillares, (eſt enim & pugillaris & pugillare) Caſſes (nam caſſis perinde dicitur, ut rete) & Vepres, (nam ueprem haud aliter dicimus, quam ſpinam) Item Faſces, niſi intelligantur laureati. Nam & Virgilius di-xit; Ego hoc te faſce leuabo. Primam ſyllabam,

ut

ut etiam hoc obiter moneam, non recte corripiunt iſti in uocatis primores & pugillares. Habent enim primas longas. Quod ideo monemus: nequis malo exemplo ſeductus, contra morem & uſum ueterum, aliquid incogitanter ſcribat. Eiuſdem eſt negligentiae, quod tertiam ab initio, in nomine parentalia, & ſecundam in uoce Vinacea corripiunt, contra omnem rationem, & uſum. Sed ad rem, de qua agitur praecipue, redeamus. Paſcua, non eſſe Nomen plurale tantum: ex eo liquet, quod Latini etiam Paſcuum dicunt: ut, Varro: Paſcuum uiride. Nam quod Poetae Paſcua tantum efferunt plurali Numero, id magis fit, pro ratione carminis & metri, quam ex neceſſitate ſermonis. Idem eſto iudicium de palearib. quod nomen in ſingulari profert Seneca in Hippolyto. Et recte quidem. Roſtra, niſi accipiatur de templo Romano, an curiam Hoſtiliam, non erit plurale. Dicimus enim hoc roſtrum, tam de animali, quam de naui roſtra ta. Sed & genitale, ſubſtantiuum, Plinius non ſemel in ſingulari extulit. Et quid hoc eſt dicere? Mapalia uocantur a Poenis caſae agreſtes: & Poetae in numero plurali tantum uſurpant: quoties de multis caſis Punicis loquuntur. Ergo, in ſingulari, de una caſa; non licebit dicere Mapale? Ego perinde hoc eſſe iudico: ac ſiquis cum Plinio diceret: Anſeres a Germanis uocantur Ganzae. Ergo Ganzae eſt plurale tantum: & in ſingulari nefas eſt dicere, Ganza. Ambagem, aedem, aerumnam, blanditiam, compedem, caerimoniam, cratem, illece-

illecebram, delicium, faucem, genam, habenam, inimicitiam, paleam, ſcalam, ſortem, ualuam, uigiliam, tam dici ſingulariter, quam pluraliter, nemo non nouit, niſi qui bonas litteras non nouit. Sed elegantia non caret, quod auctor iſtorum uerſuum, quiſquis eſt, primam ſyllabam in uoce Clitellae corripuit, immemor Horatiani uerſus ad Vinnium Aſellam. Clitellas ferus impingas, Aſiniq. paternum. In riſum uertas nomen. Nec minus bellum eſt, quod ſecundas ab initio ſyllabas produxit, in uocibus manubiae, uigiliae, praeſtigiae: & duas diphthongos ibidem corripuit. Et haec ſint dicta de ijs, quae Numero deficiunt. Proximo loco ſe offerunt, quae deficiunt caſibus: ubi noſtrates dicunt Nomen exſpes eſſe ἄκλιτον, eo quod ſolo Nominatiuo caſu uſurpatū ab auctoribus legitur. Ego uero iurare auſim, compoſitum iſtud non minus uariari poſſe atque ſimplex uariatur. Cur enim non liceat mihi dicere hominem exſpem: aut in plurali numero homines exſpes? Sed ſit ſane ἄκλιτον exſpes. Cur iſti Pondo referunt inter ἄπτωτα, hoc eſt nullū caſum habentia. An non Nominatiui Caſus eſt Mellis pondo decē ſunt? An non Genitiui caſus eſt in illo: Torques aureus centum pondo? Quinctil. lib. 6. cap. 4. An non Accuſatiuus eſt, & Ablatiuus in hoc Ciceronis: Non eſt uir bonus, qui depoſitum nullo teſte, cum lucrari impune poſſit auri pondo decem, reddiderit: ſi idem in decem millibus pondo auri non fecerit? Quare meminiſſe debuerant Grammatici,
aliud

aliud esse dici ἄκλιτον, & aliud dici ἄπτωτον. Nam & cornu in singulari est ἄκλιτον, sed non ideo ἄπτωτον, & μονόπτωτον. Praeterea falsissimum est, quod docent, in solo Ablatiuo dici, arbitratu, ortu, rogatu. Nam, in ditionem atque arbitratum se dedere populo Thebano, dixit Plautus. Ortus in quarta declinatione reperies per omnes casus, apud optimos quosque auctores. Denique, ad rogatum alicui non respondere, dixit Cic. pro Flacco. Inter δίπτωτα referunt astus. At ego plures eis ostendam casus. Nam belli astus, dixit Sil. lib. 16. in Nominatiuo singulari. Virgil. Versare dolos astu, in Ablatiuo singulari. Seneca in Nominatiuo plurali dixit, Callidi astus: Iterum Silius bis in accusatiuo Astus adiūgere ferro, & Astus exsuere. Illud itē miror, ubi legerint Proficisci suppetias. Lues uocabulum esse integrum in singulari. nihil enim me uetat dicere luis & lui. Dapis uero, & frugis, & opis, & precis, & necis, & uicis: antiquos habere Nominatiuos, daps, frux, ops, prex, nex, & uix, nemo e doctioribus umquam negauit. Viscus quoque esse integrum, & dici posse in singulari, uisceris, uisceri, uiscus, & uiscere, mihi nulla est religio. Quin etiam aes, mel, rus, thus in plurali Genitiuo, Datiuo, & Ablatiuo nihil uetat efferre. Legimus enim apud probatissimos auctores, Pulsantes aeribus aera. Et cur fas sit dicere fellium, fellibus: nefas autem dicere mellium, mellibus? Aut cur licitum dicere crurium, cruribus; murium, muribus; iurium, iuribus: illicitum autem, rurium ruribus:

ribus:

ribus: thurium, thuribus? Affirmant uero & hoc, ora, & uina, carere Genitiuo plurali. At caussam non afferunt, cur orium non liceat dicere, sicut ossium, aurium: aut uinorum, sicut scamnorum. Postremo uolunt nobis persuadere, quasi interrogatiua, uniuersalia, & particularia uocatiuo careant. Quid audio? Ergo, cum Christus nos uocat, & inquit: Venite ad me omnes, in alio casu, quam in uocatiuo nos uocat. Itē Virgilius non recte uocauit: Dijq. deaeq. oēs. Male item Ouidius: Quilibet huc, dixit, cōfuge: tutus eris. In anomalis non recte docēt, Suppara plurale, in singulari esse Supparus. Nā istud plurale uenit a singulari eiusdem Generis: quod est Supparum. Neque supellectilia, a Nominatiuo usitato supellex uenit, sed ab antiquo supellectile. Pergama item a Pergamum potius, quā a Pergamus feminino descendit. Sequuntur Heteroclyta, id est, diuersarum inflexionum nomina. Balneum docent in singulari numero esse secundae declinationis: in plurali, primae. Quo modo igitur Latini dicunt pluraliter, balnea, balneorum, sicut Horatius protulit quattuor in locis. Addendum sane erat Balneum: in plurali, Balnea & balneae: Vel, balneae dicendum absque singulari feminino. Iugerum quoque unius terminationis non est. Nam in singulari dicimus etiam iuger: cuius Ablatiuo iugere utitur Tibullus. Actus nomen est Quartae declinationis, integrum & regulare: habetq. in plurali actus, frequenter usurpatum. Acta, actorum, est pluralis Numeri tantum, perti-

netq. ad defectiua Nomina. Araneus, aranea: non significat unam rem: sicut neque columbus, columba. Quare Heteroclita non sunt. Supra dixi, Nomen Indigena esse masculinum. At nostrates Grammatici, non modo communis esse Generis affirmant: sed addunt etiam aliam terminationem, quasi Latini etiam dicant, indigenus, indigena, indigenum. Ego uero tale adiectiuum nomen non credo uspiam exstare: nec memini me legere in probato auctore. Et quis quaeso Latinitatis scriptor umquam dixit, in Nominatiuo Lampada? aut, Arabus, pro Arabe? Nam Arabius pro Arabe dici non nego. Superest ultimus Nominum affectus, siue accidens, nempe Species: ubi primum se ridiculos praebent nostrates, quod in enumeratione Accidentium Nominis, omittunt Speciem: & nihilominus de ea post in progressu tractare instituunt. Deinde, negligentiae crimen omittunt: quod in hac ipsa re tractanda, supra modum fuere oscitantes: id quod quilibet statim intelliget, qui nostra cum illorum dictis contulerit. Nam neque deriuatiuae Speciei genera seu differentias omnes enumerant. Omittunt enim Nomina aduerbialia, & Participialia: tantum Verbalium facientes mentionem. Praeterea neque terminationes cuiusque speciei deriuatiuae, neque significatus tradiderunt. Numeralia item significata alieno loco explicauerunt: quemadmodum ex libris nostris fit manifestũ & euidens. Quare, omissis illorum nugis, lectorem ad nostra praecepta remittimus.

De

De Etymologia Pronominum. Cap. II.

XPOSITAE sunt, & indice digito monstratae crassiores nostratium hominum, in re Grammatica, ineptiae, & futilissimae nugae de Nomine. Nunc ad Pronomen transeo, in quo non minus, quam in Nomine ineptiuerunt: sicut hoc suo loco uberius demonstrabitur. Etsi autem tolerari poterant, quae de specie, de significatione, de generibus, de figuris, de personis, & de casibus Pronominum afferunt: quia tamen haec omnia sic tradunt, ut multa merito desiderentur, iccirco non possunt omnem reprehensionem effugere. Pronomen diuidunt in finitum & infinitum: & finita quidem dicunt omnia, praeter interrogatiua? Cur igitur finita non subdiuidunt? Personas pronominũ a Personis Nominum non distinguunt: hoc decepti, quod Nomini personarum discrimen non putarunt posse accidere. Casum Vocatiuum tantum quatuor assignant Pronominibus: cum tamen etiã alia habeant Vocatiuos, quemadmodum exempla, a nobis adducta, luculentissime ostendunt. Sed omnium est taeterrima insania, quod quattuor tribuunt declinationes, seu declinandi formas Pronominibus: easq. longe aliter definiunt, quam nominum inflexiones. Nam quomodo possis tu aliter declinare, seu uariare per casus, pronomina haec, mea, tua, sua, nostra, uestra, cuia: quam no-

men mensa? aut quomodo aliter inflectes, meum, tuum, suum, nostrum, uestrum & cuium, quam scamnū? aut quo modo uariabis aliter hic & haec nostras, & hoc nostrate: uestras, uestrate: cuias, cuiate: quam hic & haec Arpinas, & hoc Arpinate? Quid? an Pronomina, hic, ille, ipse, iste, is, quis, qui: eorumq. Neutra non erunt secundae declinationis Nominum: & feminina eorundem non erūt primae declinationis Nominū: propterea quia aliter formant, Genitiuū & Datiuum singularem hodie, quā formarunt olim? Certe, si hoc dices, dicendum erit etiam, quod unus solus, totus, ullus, nullus, alter, uter, neuter cum suis femininis, & Neutris, ad aliam pertineant declinationem, quam ad primam & secundam: quandoquidem & haec cū Genitiuo & Datiuo singulari a consuetudine uulgari recedunt. Quaeres fortassis Cuius sint declinationis, Ego, tu, sui? Respondeo esse anomala: & suo quodam more tam apud Graecos & Latinos, quam apud alias gentes in omnibus linguis uariari. Eoq. ad unum certum Declinationis caput referri non posse.

De Etymologia Verbi. Cap. III.



ERBVM non recte diuidi in Personale, & in Impersonale: sed omnia uerba esse Personalia, & aliquam personam consignificare: id admodum euidenter demonstrauit Iulius Scaliger, & nos infra

idem

idem docebimus. Itaque otiosas illas definitiones & nugatorias Grammaticorum nugas, nunc omittemus.

Primũ autem ualde fui hucusque miratus, quid caussae priscos & recẽtes Grammaticos impulerit: ut quaedam uerba statuerent esse communia, hoc est, tam Actiuae, quam Passiuae significationis: decepti Participijs passiuae significationis, quae a Deponentibus trahuntur. Quod enim dicunt, criminor Phormionem, & criminor a Phormione; Osculor te, & osculor a te: sane hoc isti absque probati scriptoris auctoritate dicunt. Neque ego credere illis induxi animum, priusquam temere dicta, manifestis exemplis & rationibus confirmauerint. Equidem a uerbis absolutis, siue Neutris itidem ducuntur passiuae significationis Participia: ut, stata tempora, aequor arandum, arata tellus, decursa spatia, nox uigilata & uigilanda. Nemo tamen Grammaticus hucusque fuit, qui istis participijs assignaret uerbum originale eiusdem significationis. Verbi gratia, Stor, aror, decurror, uigilor. Sed accedo ad accidentia Verbi: inter quae primo loco ponunt isti Genus: idq. aliter hic definiunt, quam in Nomine. Dicunt enim genera esse significationes uerborum. Rursum in participio definiunt significationem esse idem, quod genus in uerbo. Quis non uidet istos homines spiritum uertiginis circumrotari? Nam si Genus nota sexus est: quomodo uerbo potest accidere: cum certum sit, quod discrimen sexus in uerbis Latinis non habeat lo-

cum? Recte Iulius Scaliger significationem, cuiusque dictionis formam esse dixit, non accidens. Nam forma dat esse & nomen rei: & secundum formam quaelibet dictio idipsum, quod esse dicitur, etiam significat. Longe igitur alias inuenies definitiones & diuisiones Nominum, Pronominum, Verborum, Participiorum, & reliquarum dictionum, in nostris libris, quam apud uulgares Grammaticos: de quibus Scaliger dixit: Nihil esse Grammatico definitore infelicius. Sed de hac re suo loco. Nostri enim instituti nunc est, crassiores tantum errores nostratium, digito commonstrare.

Species uerborum deriuatiuas faciunt quinque: Incohatiuam (ita enim scribi debet) frequentatiuam, meditatiuam, Deminutiuam, (nam & haec ita scribi debet) & Imitatiuam. Consideremus nos, quomodo singulas isti definiant, & quam uere. Incohatiua dicunt uocari, cum uerbo adijcitur terminatio sco: eaq. significare aiunt incohationẽ, & gliscere, atque intendi. Hoc utrumque esse falsum, num olim docuit L. Valla inuictis rationibus. Nam, quae in Sco aut Scor desinunt, ea docuit esse Verba Meditatiua seu Continuatiua: & significare Continuationem, seu assiduum actionis alicuius incrementum. lib. 1. cap. 24. Cui sententiae etiam subscribit Scaliger. At nostrates Grammatici, praesertim, qui nunc scripturiunt, & in concipiendis librorum abortiuis fetibus admodum pruriunt, homines taetrici, obstipo capite, & figentes caperata fronte & toruo lumine terram, murmura

cum ſecum & rabioſa ſilentia rodunt: hi, inquam L. Vallae & Scaligeri, non dicam, auctoritatem ue nerandam, ſed inuictas rationes tam ſuperbe, tam praefracte, tam petulanter contemnunt: ut pueritiam noſtratem conſulto in ſuarum nugaciſſimarũ nugarum ſalebras praecipitent. Quid? quod affirmare audent, iſta uerba ſibi mutuari Praeterrita & Supina, a ſuis thematis: ut, ardeſco, arſi, arſum, ab ardeo. Nam Valla & Scaliger docent, quod iſtaec uerba careant praeteritis & Supinis, niſi Primitiua illorum non exſtent, aut uſu obſoleuerint. Tum enim aliena praeterita uſurpant pro ſuis. Frequentatiua noſtri defintunt, quae in To, aut So, aut Xo, aut Co exeunt, ſignificantq. aſſiduitatem ſiue conatum. De tribus terminationibus quod dicunt, nempe To, Xo & Co, uerum eſt: ſed de terminatione So, falſiſſimum. Nam in So deſinentia ſunt incohatiua, & ſignificant conatum, ſeu ſtudiũ incohãdi actionem: ut, uiſo, eo ad uidendum. prouiſo, eo ad prouidendum: capeſſo, eo ad capiendum. Qualia autem ſibi forment praeterita, uerba in So: id noſtri dicere muſſant. Sed Priſcianus os aperit, dicitq. more Verborum Quartae Coniugationis facere praeterita: ut, faceſſo, faceſſi, uel faceſſiui, faceſſitum. Et ſane id ita eſſe docuit uſus, & cõſuetudo ſermonis, apud auctores probatos. Cic. Verr. 6. Cum audiſſent ei negotium faceſſitum. Meditatiua & Deſideratiua noſtri pro ijſdẽ habent. Peſſime, uti iam docuimus. Verum ijdem Tempora uerborum faciunt Quinque. & hoc peſſime.

Sunt enim tria tãtum: sicut & Participiorũ. Quod si praeteritum uolunt subdiuidere in Imperfectum, Perfectum, & Plusquam perfectum, sane hoc illis licebit. In Enumeratione Modorum. quos ineptissime definiunt, ponunt etiam Optatiuum. At cur nõ etiam posuere Dubitatiuum, aut Concessiuum: aut Iuratiuum? Sunt enim uarij Coniunctionum, & Interiectionum significatus, qui additi uerbo Subiũctiui aut Indicatiui Modi facile nobis modũ aliquem eiusmodi parturient. Et cuperem sane mihi ullum tempus Optatiui Modi commonstrare, quod non sit in subiunctiuo. Quod si dicas: utinam amem, esse futuri temporis: cum amẽ, praesentis: quia, qui optat rem optet absentem & quasi futuram: respondeo tibi, optantem sic optare rem, uerbi gratia, amorem alterius erga se, ut non absit, sed praesto sit. Et certe qui dicit: Hera te rogat, si se ames, ad eam ut uenias; non ne in praesenti loquitur, de re incerta & dubia, si se ames, & de re futura, ut uenias. Nondum enim uenit. Possum ergo in praesenti Subiunctiui modi, qui Hypotheticus est, non Categoricus: ut mox dicam, sic loqui: cum amem, si amem, ne amem, ut amem, utinã amem. Eodem modo possum loqui in reliquis temporibus huius Modi omnibus: praeter quam in futuro, cum optantis uocula. Nam rem futuram qui opptat, is dicit, utinam sim aliquando amaturus. Sed quid opus est uerbis? Audiui ego fuisse iã pridem in Italia uirum doctissimũ cognomento Hiero. Ruscelli, Patricium Florentinum: qui inuictis ratio-

nibus

nibus demonſtrauerit, nullum eſſe Latinis Optatiuum Modum. Ad hunc ergo, plura ſcire cupientem, remitto. Imperatiuo tribuunt primam perſonā pluralem, in utroque tempore: & quidem eandem furtim ablatam ſubiunctiuo. At nemo ſibi ipſi, ſiue in ſingulari, ſiue in plurali numero imperat. Nam imperium eſt in alium. Ideoq. etiam Graeci iſta perſona in hoc modo carent. Suſtuli etiā tertijs perſonis pluralibus Futuri temporis alteram, nempe: amantote, docentote, leguntote, audiūtote, ſuntote, &c. Nam iſta nondum reperi apud probatos auctores: nec prius in meū librum recipiam, quam uſu & auctoritate iſta uidero comprobata. Subiunctiuum quidam uocant Cōiunctiuum, tribuuntq. ei Coniunctionem Cū, quaſi quendā Comitem aut notam. Nae perperam. Subiunctiuus enim dicitur, a ſubiungendo, quia Indicatiuo & Imperatiuo aliā orationem ſubiungit: ut, uolo, ut ames. Iube, ut amē. Cum dederit paries uentura ſigna ruinae, Solicito uacuus fit locus iſte metu. Ouid. Si nihil attuleris, ibis Homore foras. Idem. Graecis eſt Hypotheticus, id eſt, Condicionalis, quia per hunc modum nihil enunciamus; ſed tantum per Indicatiuum, qui uere eſt Categoricus. Remoui autem a paradigmatis Coniugationum, uoculam cum: propterea, quod neque gemina, aut propria eſt huius modi nota (additur enim etiam uerbis Indicatiui modi) & quod plures ſunt particulae, quae ſubiunctiui Modi uerbis addi poſſunt, ſicut ſupra monui; & quod uidi pueros magis perturbari,

quam

quam doceri iſtis particulis. Putant enim Verba non eſſe ſubiunctiui Modi, niſi addita ſit Coniunctio, cum. Ex infinitiuo uerbi Actiui, ubique ſuſtuli adulterinum futurum: amatum ire, datum ire, lectum ire, auditum ire. Nam haec non eſſe futura, iam olim euidentiſſime demonſtrauit L. Valla lib. 1. cap. 28. Cuius ego uiri aemulari malo negligentiam, quam noſtratium Grammaticulorum obſcuram diligentiam. Falſum uero & hoc eſt, quod iſti dicunt, ad Modos commode poſſe referri Supina & Gerundia. Nam haec utraque ſunt Paſſiua Participia: illa quidem Praeteriti, haec uero Futuri temporis. Quemadmodum nos, ſecuti Caeſaris Scaligeri ueſtigia, in libro de Participio docuimus. Accedo nunc ad quattuor Coniugationes, in quarum ſecunda & tertia, praeteritorum & ſupinorũ conformatio traditur ſine Regulis, confuſo ordine: ad quem conſimilia inter ſe fuerant referenda, tam quam ad caput. Miſceo, dicunt habere mixtum, pro ſupino. Scaliger, nullum ab hoc uerbo agnoſcit ſupinum, praeter miſtum: unde miſtura: ut apud Lucret. miſtura rerũ. Algeo in Supino alſum habet. Vnde enim alias formatis nomen uerbale, alſus, alſior: & denominatiuum, alſioſus. Frigeo, aliud praeteritum non habet, quam frigui, & frictũ in Supino. At frixi, frixum & frictum a frigo ueniunt: quod ſignificat torrere. Oleo duplex habet praeteritum, & duplex ſupinum. Ex compoſitis ſolum Suboleo priuant iſti ſuo ſupino, ſed abſque cauſa. Caueo in ſupino etiam catum facit, paenul

tima

tima breui: unde nomen est catus. Medeor, nullum habet praeteritum. Nam medicatus sum, est praeteritum uerbi medicor. In uerbis tertij Ordinis ponitur inter alia mingo, uerbum ab omni Latinitate alienum: pro quo usitate dicimus meio. Pango, panxi in praeterito habet: non pepigi. Nam pepigi & pactum ab inusitato sunt Pago: quemadmodum Quinctilianus iã olim docuit. Exstat hoc uerbum in Leg. XII. tabular. & lib. 2. Rhet. ad Herenn. Tollo in praeterito facit tetuli: sicut, pello, pepuli: percello, perculi: in supino latum, quadam metathesi litterarum. At sustuli & sublatum, a sustollo ueniunt: nempe praeteritum & supinum compositum, a themate composito. Tulo autem ficticium est, & nugatorium uerbum: ne ab ipsa quidem Carmenta usurpari solitum. Et quam haec madidi est infantia nasi: quod supinum a sero, serui negant in usu esse? Quo modo ergo sertas coronas interpretabuntur ex Lucani libro decimo? Necto, & pecto, pro praeteritis habent, nexi & pexi: sicut flecto, flexi. at pexui & nexui, ueniunt a pexo, pexere (quamuis hoc nondum reperi) & a nexo, nexere: sicut texui, a texo, texere. Nam nexare & pexare sunt frequentatiua. Sisto, non sisti facit in praeterito: sed stiti: sicut docent composita, restiti, a resisto: destiti, a desisto: substiti, a subsisto. In supino statum habet: unde Stator, Epithetor Iouis. Nouicij Grammatici etiam statui, huic uerbo tribuunt pro praeterito: sed nullam auctoritatem adducunt. Luo in supino lutum habet: sicut

diluo,

diluo, dilutum. Hinc antiquum uerbum, luto. Itẽ, luitum. unde futurum participij luiturus, quo utitur Claudian. Liquor, uerbum deponens, idẽ quod diſſoluor: habet paſſiuam ſignificationem: caretq. ſuo praeterito. Nam liquefactus participium eſt, ab alio themate. Potior Quartae eſt Coniugationis: & tueor ſecundae. Quare uideant noſtrates, qua ratione ad tertiam iſta duo uerba ſint referenda. Orior uero cum ſuis compoſitis ad tertiam pertinent. Nam omnia tempora ſecundum Analogiã tertiae coniugationis formãt, praeter infinitiuum, oriri, exoriri, adoriri. Male igitur noſtrates, ad uerba quarti ordinis referunt. Raucio, & irraucio, pro Latinis non agnoſco. Monſtrent igitur nouicij racematores, ex probatis auctoribus aliquem: qui illis ſit uſus. Nam rauceſco, & irrauceſco uerba illis conceſſerim. Ab haurio etiam aliud eſt ſupinum, nempe hauſum: unde hauſurus, apud Virgil. 4. Aeneid. Ferio & fio ſunt defectiua uerba. Carẽt enim Praeteritis & Supinis. Neque enim mutuantur aliunde, uerbi gratia a percutio & fio. Equidem facio, licet paſſiua praeſentia, & quae inde ueniunt tempora, non formet de ſe in figura ſimplici: Compoſita tamen formant: ut, efficior, conficior, efficior, perficior, &c. Et pro, caleſio, liquefio, pateſio, tepefio ac ſimilibus: dici Latinius & frequẽtius, caleſco, liqueſco, pateſco, tepeſco: docet Laur. Valla. Quare manifeſtus eſt error illorũ, qui dicunt: uerbum Fio eſſe paſſiuũ anomalon, habereq. pro praeterito, factus ſum: ut, calefio, calefactus ſum. Nam de-

defectiuum esse, & carere praeterito, omnes uidēt, qui emunctae naris sunt, pueri. Eo item & Queo uerba sunt Quartae cōiugationis, quae eiusdē Analogiam ubique sequuntur. Quomodo igitur erunt anomala? Sum, uolo, fero, & edo, cum compositis aiunt itidem esse anomala: & coniugationis inconsequentis. Quasi uero in istis nihil sit analogum. An non fui, a fuo ortum cum suis deriuatis, normā tertiae coniugationis sequitur. Quod autem praesentia, a fuo obsoleuerūt: ne hoc quidem detrahit analogia praeteriti. Sic Volo, etsi in praesenti a Regula communi uariat, tamen in praeteritis & futuris, sequitur amussim tertiae coniugationis: sicut & edo, cum suis compositis. Fero autem Defectiuum est, quod in solo praesenti, quibusdam in personis syncopen patitur. In ceteris omnibus analogiam tertiae Coniugationis retinet. Hoc cum isti Tiresiae non uiderent: nouā & inconsequentem fabricarunt coniugationem: ueriti fortasse ne praeceptionum cumulus non sit grandiusculus. De Impersonalibus initio monuimus, nulla esse Verba Impersonalia. Nam quae illi dicunt esse Actiuae uocis Impersonalia, eorum pleraque sunt perfecta uerba. Dicimus enim: sum, obsum, prosum, intersum, refero, delecto, iuuo, accido, euenio, cōtingo, noceo, uaco, praesto, resto, liqueo, liceo, placeo, cōsto, sufficio, expedio, conduco, soleo, & possum. Quod aūt nō dicimus, paeniteo, pudeo, taedeo, misereo, (nā misereor dicimus) itē deceo, oporteo, pigeo: id Scaliger affirmat usu fieri cuiusdam detorti sermonis. Nā usus

loquendi

loquendi iſta uerba ad ſolam tertiam perſonam detorſit: quae, ut Scaliger ait, integra olim fuiſſe neceſſe eſt. Pugnat enim uſus nonnumquam cum manifeſtis rationibus: ſicut in defectiuis Nominibus quoque eſt dictum. Miſeret me fortunae tuae, Scaliger ſic interpretatur: tua fortuna facit me miſerum: (uides ſignificationem actiuam) ſicut in integro: miſereor tui, id eſt, miſer fio tui gratia: ubi paſſiua ſubeſt ſignificatio, quae Graece dicitur pathetica. Sic Hoc me decet, id eſt, decorum me facit. Huius me piget, i: piger fio huius rei cauſa. Eſt enim patheticum uerbum, licet actiua ſit terminatio. Et quamquam Nominatiuus iſtis uerbis tertiae perſonae, praeſertim non deſtitutis primae, non ſemper additur: tamen plerumque illius loco Infinitiuus ponitur, aut certe ſubauditur: ut, cum dico: placet mihi, ſubaudio, iſtud fieri: uel, iſtud, quod dicis. Idem eſto iudicium de paſſiuae uocis imperſonalibus, falſo dictis. Nam, ubi Gnatho interrogat Parmenonem; quid agitur Parmeno? de certa perſona interrogat. Hoc enim uult? quid a te agitur, Parmeno? Eſt enim tertia perſona, a uerbo agor. Et cum reſpondet Parmeno, ſtatur: reſpondet de ſe, hoc eſt, de certa perſona: quaſi dicat, ſtatur a me. Etſi enim non perinde dicimus in prima perſona, ſtor, ſicut agor: tamen hoc magis fit rei, quae ſic de ſe poſſit loqui, quam uerbi ipſius defectu: quemadmodum docet Scaliger. Quare conticeſcant iam deinceps Grammaticorum nugae, & Siculae gerrae, de uerbis Imperſonalibus.

De

De Etymologia Participij. Cap. IV.

FIGVRAS Participiorum dicunt Nouatores isti, esse duas: Simplicem, ut spirans: & Decompositam, ut, respirans. Scaliger, uindex Latinae uetustatis, & uetustae Latinitatis, negat esse figuram decompositam. Nam sicut spirans, quoad figuram, est simplex participium: ita respirans, caussa figurae suae, est compositum Participium. Componitur enim ex praepositione re, & participio spirans. Atque ita respondere debet puer, quando interrogatur de figura & compositione huius participij & aliorum. Significationes Participiorum totidem sunt, quot uerborum. Duae principales, Actiua & passiua. Et actiua quidem, uel absoluta, uel transitiua, uel neutropassiua, uel deponens. Nam, sicut nulla sunt uerba communia: ita etiam nulla sunt Participia communis significationis. Quodlibet enim Participium uel actiue, uel passiue, uel neutraliter significat: ut, meditans, meditaturus, significant actiue, numquam passiue: meditandus passiue, numquam actiue. Nam omnia in us, & rus significant actiue. Omnia in dus significant passiue: ut, sequendus, dolendus, uigilandus. sicut in tus a passiuis & neutris uenientia, significant solummodo passiue: ut, amatus, lectus, uigilatus, status, aratus. At uero ex solis in tus & sus, quae a deponentibus ueniunt, pauca quaedã habent com-

munem,

munem,hoc eſt, actiuam & paſsiuam ſignificationem. De quibus nos in noſtris Grammaticis commeminimus. Futurum paſſiuum criminandus & oſculandus nuſquam reperi. Quo magis miror, cur hoc potius exemplo, communes ſignificationes participiorum quorundam, uoluerint noſtri compilatores demonſtrare: quam exemplis obuijs & uſitatis: quorum primitiua uerba ipſi habent pro deponentibus. Verbi gratia: ſequendus, tuendus, metiendus, modulandus &c. Sed an non manifeſte ineptiunt,quando dicunt, iuratus, cenatus, exoſus,peroſus,eſſe participia ἀδέσποτα, hoc eſt,nõ habere certa uerba, ex quibus formentur. Quid dicitis Grammaticelli? an iuratus,conatus,& oſus nõ ueniunt, a uerbis iuro, caeno, & odi: ſicut aratus, ſtatus,uigilatus,deſcendunt a uerbis: aro,ſto,& uigilo? Quod ſi ἀδέσποτα ſunt, quae carent uerbis: uidete,an praegnans ſit tale participium & ſimilia. Sed cur negatis, a uerbis, quae uos falſo nominatis Imperſonalia fieri Participia? quid? an nulla ſunt Participia quae ab iſtis uerbis ueniũt,praeterlibens, a libet: licitus, a licet: paenitendus, & paenitens a paenitet: pudens & pudendus, a pudet: pertaeſus a taedet? Miſeros ergo Dialecticos & Phyſicos: qui poſthac nulla habituri ſunt Accidentia, nulla contingentia; nullas res euenientes, nullas res euenturas. Quid? an uobis nihil eſt decens, uel indecens; nemo miſerens uel miſeritus, uel miſeriturus; nemo nocens uel nociturus; nihil ne uacans,aut uacaturum; nihil praeſtans,uel prae

ſtiturum;



stiturũ; nihil restans, qualia olim dicebantur, restã-tia moenia Troiae: nihil liquens, nec ulla liquentia mella: nihil placens, aut placens, aut placiturum: nihil sufficiens: nihil conducens, nihil conducturum: nihil expediens: nihil potens? Et quis quaeso enumeret omnia, quae uos negatis esse participia? Nondum ne uidetis? nondum intelligitis, quam caeci, quam lippi sitis caecorum & lipporũ puerorum paedagoguli, & magistelli? Inuitus haec dico uobis: non quod uestras calumnias & maledicta timeam: quos scio, mihi uehementer esse succensuros: quod Atticas Mineruas ipse sus (ita enim uideor uobis) docere uelle aggrediar: sed quod mãsueti scriptoris nomen apud uestros Maecenates cogor amittere. Vestra enim haec culpa est, ut, qui medicum facitis impatientem, uestra intemperantia.

De Etymologia Aduerbij. Cap. V.



ADVERBIO tribuunt Quattuor Accidentia: Speciem, Significationem, Figuram, & Comparationem. Vt autẽ falso referunt significationem inter accidentia: sicut probauimus ante e Scaligero: ita etiam absurde eam definiunt, quod sit uarietas circumstantiarum in actionibus. Nam absurdam esse hanc definitionem; suo loco a nobis commonstrabitur. Hoc uero miramur omnium maxime, cur Aduerbio tribuant Comparationem, hoc est,

uariationem per gradus in extremis Syllabis: cũ tamen aduerbium referant inter partes inflexiles atque inuariabiles. Nimirum homines parum docti non animaduertunt, tam a comparatiuis & superlatiuis Nominibus descendere Aduerbia, quam ab Absolutis. Quare Comparationem finxere, quo referant Aduerbia, quae alias referenda erant ad speciem deriuatinam. Videamus autem, quot differentias significatuum, & quo ordine significatus Aduerbiorum percenseant. Cum enim istae significationes debeant recitari secundum ordinem decem Praedicamentorum: sicut & aliarum dictionum significatus: illi rem confundunt. Nam quae ad praedicamentum ubi & quando pertinent, ea nostrates paedagogi primo loco ponunt. Deinde, ex localibus Aduerbijs, quaedam faciunt primae personae: ut, hic, huc, hac: quaedam secundae: ut, istic, istuc, istac: quaedam terriae: ut, illic, illinc, illac, illuc. Hoc si uerum est, cur dicunt, docentq. in Pronominum tractatu praeter ego & tu, omnia reliqua esse tertiae personae. Nam si omnia reliqua sunt tertiae personae: quomodo deriuata ab illis possunt esse primae & secũdae personae? Aut si deriuata hoc discrimen personarum admittunt, quod illis concedimus, cur non idem discrimen in ipsis pronominibus primitiuis retinuerũt? & cur omnia reliqua ad unam personam tertiam restrinxerunt? Sed condonabimus hoc illorum oscitantiae & resupinae cuidam negligentiae. Illud cõcedere nullo modo possumus, quod inter Aduerbia

bia referunt dictiones, quibus affectum aut gestum aliquem exprimimus. Quae tamen uoces ad peculiare caput, seu genus dictionum referendas esse docent, puta ad Interiectionem. Etenim, si interiectio est, qua metuimus, aut aliquid detestamur: ut, atat, apage; cur non etiã sit Interiectio qua aliquid optamus? ut, o, utinam. Et si hem est Interiectio, quando illa uoce indignari nos indicamus: cur non etiã sit Interiectio, quando hac eadem respondemus uocanti? Et si uox respondentis est interiectio: cur non etiam sit Interiectio uox uocãtis: ut, heus, eho? Quid? an detestantis uox sit Interiectio, ut, apage: & hortantis uox, eia, age, non sit interiectio? Certe si Interiectio est dictio, animi affectum significans: erunt etiam Interiectiones, quibus demonstramus & iuramus. Cur enim en & ecce sint aduerbia potius, quam interiectiones: cum istae uoculae nullam adiungant uerbis circumstantiam: sicut ipsa definitio Aduerbiorum fieri postulat? Siquis tamen iurantium uoces, inter affirmandi Aduerbia uelit referre: propterea, quod aliquam qualitatem & ista adiungunt uerbis, sane huic nõ odiose repugnabo. Verumenimuero Ordinis, quae uocant Aduerbia, ea perperam huc referunt. Nam primo, deinde, protenus, sunt eatenus Aduerbia, quatenus tempus significant. Sed quoad ordinem significant: & sequentem orationem cum paecedẽte continuant, & quasi copulant, eatenus sunt Coniunctiones: quas nos Continuatiuas appellamus. Primo, secundo, tertio, quarto, ultimo, barbara

ſunt, & illatina. Quare Barbaris Grammaticis ſuam barbariem relinquimus. Liuius ultimum dixit, pro poſtremum, ſignificatione temporali, non ordinare. Quomodo autem continuo, antea & poſtea habeant ordinis ſignificationem, ego non uideo. Nam ſi dicã: de hac re poſtea monebimus: uel, antea monuimus: tempus exprimo, non ordinem. Id quod uerba futuri & praeteriti temporis, te poterunt docere. Mecum, tecum, ſecum, nobiſcum, uobiſcum, quibuſcum, eacum: non eſſe Aduerbia, nedum perſonalia Aduerbia, nemo ignorat, niſi indoctiſſimus, & qui neſcit, quid ſit Praepoſitionum ἀναστροφή. Nam binae ſunt hae dictiones: non compoſitae: licet Praepoſitio poſtpoſita accentum transferat, more Enclyticarum: ſicut etiã apud Graecos μάχης περι: pro, περὶ μάχης. ſcribendum enim: me cum: te cum: uobiſcum: quibus cum. Plura de hac re in noſtris Grammaticis. Sequuntur alij ſignificatus Aduerbiorum: ut ſunt, ſeparandi ſeu diſtribuendi: congregandi, eligendi, excludendi, concedendi, prohibendi, euentus, declarandi: & ſimiles nugatorij ſignificatus. Nae laborioſum eſt hominum genus Grammatici: qui in excogitandis tot ſignificatibus Aduerbiorum tam ſtrennue elaborarunt? Si modo non ſtrenua illos exercuit inertia: ut, cum Horatio loquamur. Quid enim aliud ſint Eligendi & declarandi Aduerbia, Immo nimirum, ſcilicet, uidelicet, quam aduerbia affirmandi? Si uero etiam alius eſt harum uocum uſus, ut certe, cur non inter Coniunctiones potius

tum

tum referuntur, quam inter Aduerbia? Nam istis uocibus interdum compleri orationem, & aliud quiddam attexi, saepenumero uidemus. Ideoque inter coniunctiones completiuas ista recensuimus. Pari modo Aduerbia Excludendi, modo, saltem, dumtaxat, solum, tantummodo, retulimus inter Coniunctiones condicionales: quoniam praecedenti orationi nouam attexunt: & priora uerba limitant. Sed quid hoc est inscitiae, quod nostri Grammatici, uerba haec; esto, sit, fac; numerant inter Aduerbia; & uocant Aduerbia concedendi; nempe, quia a Rhetoribus didicerunt, illis uerbis aliquid in oratione concedi? Et cur Nomina haec Ablatiuo casu, significante actionis modum uel caussam, ponũt inter Aduerbia Euentus, fortunam, casum. Quis non uidet nostrorum hominum manifestam insaniam, tribus hellebori potionibus uix sanandam? Nam, quid aliud sint Euentus aduerbia; forte, fortuito; quam Aduerbia Qualitatis, orta a Nominibus? Significant enim quomodo aliquid euenerit. Nam qui dicit; hoc bene est factum, aut male, aut temere, aut consulto, aut fortuito; quid aliud dicit, quam facti Qualitatem? Et quid aliud sit prohibendi Aduerbium ne, quam Aduerbium negandi? Ego uero, nisi Criticorum Theoninos dentes metuerem; etiam dubitandi Aduerbia Interiectionibus adnumerare uellem. Sed experiar prius quomodo nostri paedagogi, & ludorũ magistri, hanc strigilem sint excepturi; & quomodo haec medicamenta, atque has potiones sint di-

 gesturi.

gesturi. Duo sunt significatus Aduerbiorum, de quibus dubitari posset; nempe, separandi, & congregandi. Num quae isti uocant Aduerbia Intendendi, remittendi & diminuendi; ea nos ad duo capita retulimus, Incrementi seu intensionis & decrementi seu remissionis: eaq; statim Aduerbijs Quantitatis & Qualitatis subijcimur; hoc iam olim a dialecticis edocti, quod & Quantitati proprie competat maius & minus; & Qualitati magis & minus; hoc est, quod utrumque horum & intendi & remitti possit. Et, quoniam Quantitas etiam numerum & tempus complectitur; idcirco in enumeratione Aduerbiorum significantium Incrementum, & decrementum suo quaeque ordine percensuimus. Qualitatis significatio patet latissime; propterea, quod unum quoduis Aduerbium significat Qualitatem quandam, respectu sui uerbi; quemadmodũ hoc alibi docuimus. Sed, praeter hoc, sunt etiam Aduerbia, quae Qualitatem speciariam significant, uel numeri; ut, bipartito, tripartito, bifariam, dupliciter, collectim, summatim, turmatim, cateruatim. Nam haec omnia significant Qualitatem numeri, hoc est, aggregatum numerum. Vel loci, ut secreto, priuatim, clam, clamculum, aperte, palã, seorsim, separatim; id est, loco secreto, priuato, clamdestino siue occulto, loco aperto, loco separato; uel temporis; ut, una; id est, uno tempore, simul, pariter, id est simili & pari tempore, uel etiam modo. Quare haec aduerbia, & similia recte referentur ad Qualitatem, siue absolutam, siue relatã.

Fortasse

Fortaſſe etiam non male referentur inter Aduerbia abſoluti numeri loci & temporis, quadam analogia & reciprocatione: id quod nos in noſtris fecimus Grammaticis. Et cur Τὸ aliter, ſit Aduerbium ſeparandi, ac non potius Qualitatis? Quid enim ſignificat aliter, niſi alio modo? Atque haec de ſignificatibus Aduerbiorum dicta ſufficiant. Nam ex his paucis, credo conſtare omnibus mediocriter eruditis, quod in hac etiam parte Etymologiae tradenda, Epimenideum ſomnum dormitarint noſtri Grammatici. Reſtat Figura Aduerbiorum, (nam comparatio ſupra exploſa eſt) ubi iterum faciunt triplicem figuram: & unam ex his Decompoſitam: nullo exemplo, nulla ratione adducti, ſatis probabili. Nam Imprudenter Compoſitum figurae eſt Aduerbium: ex in praepoſitione, & Aduerbio prudenter. Sin uero a nomine Im prdens deducunt, iam erit Speciei Deriuatiuae Aduerbium. Quid autem ſpeciei commune eſt cum Figura, aut Figurae cum ſpecie?

De Etymologia Praepoſitionum. Cap. VI.



I ulla in parte Etymologiae recte explicanda ſomnolenti fuerunt Grammatici, certe in hac parte fuerũt quouis glire ſomnolentiores. Nã neque ſignificationes Praepoſitionum recẽſuerunt: quod

tamen in Aduerbijs & Coniunctionibus, utrumque tentarunt: neque uera Accidentia Praepositionum pueros docuerunt: sed, quod communissimū est, omnibus dictionibus (praeterquam cōiunctioni) accidens, nempe casus & constructio, hoc illi accidens uni praepositioni, tanquam proprium, assignarunt. Quid enim? an non etiam Aduerbia & interiectiones suis iunguntur casibus? annon nomina & uerba inter se & cum alijs partibus cōstruuntur? Hoc illi non obseruantes, alienissimo loco syntaxin Praepositionum tractarunt: & Etymologiam cum syntaxi, Syntaxin cum Etymologia turpissime confuderunt. Enimuero Coniunctioni dicunt accidere figuram ut, que, neque. At cur non etiam Praepositioni, ut, ad uersus, aduersus: abs, absque; Ordinem quoque tribuunt Cōiunctioni triplicem. Praepositiuum: ut, uerum, sed, quamquam. Postpositiuum, ut: autem, enim. Communem: ut, ergo, igitur. At cur non eosdem ordines tribuūt Praepositioni. Nam, ad, apud semper praeponuntur: tenus, & uersus semper postponuntur. Speciem uero cur adimant Praepositioni, ualde miror: cum Priscianus dicat, plerasque esse primitiuas, exceptis Quattuor; Scaliger contra statuat plaerasque esse deriuatiuas. Sed redeo ad significationes Praepositionum. Docet Priscianus plerasque Praepositiones habere significationem localem docet Localium esse quattuor differentias: docet, quod Localium pleraq. etiam sint temporales, & caussales: Docet item Valla, praepositionem

Cum

Cum eſſe Comitatiuam. Conſtat item, quod prae poſitio, Circiter, fere tempus ſignificat: & penes, cauſſam. Denique conſtat Praepoſitiones, ſine, praeter, abſque, eſſe Praepoſitioni Cũ, quaſi oppo ſitas & priuatiuas. Cur ergo proprios ſignificatus Praepoſitionum non examinarunt Grammatici? cur iſtas res tam oſcitanter praeterierunt? Suboluit illis, quod Praepoſitio in, aliquando ſignificat mo tum ad locum, aliquando quietem in loco: cur nõ idem olfecere in alijs Praepoſitionibus? Nolo hic dicere plura: ſed remitto lectorem, ad noſtra Gram matica: & moneo pueros, ut Praepoſitionum ſi- gnificatus & uſum ſibi inde potiſſimum cõparent: quando ex uulgatis libellis eundem ſibi uſum cõ- parare non poterunt. In tantum honorem, pro, in tanto honore, dicunt eſſe Graeciſmum. Ego non uideo. Melius Archaiſmum dixiſſent. Inſepara- biles Praepoſitiones numerant ſex, cum ſint tãtum quattuor. Nam ſi di, in uerbo diduco, alia eſt Prae poſitio, quam in uerbo differo; diſtuli, dilatum, & in diſtraho: etiam tra erit alia praepoſitio in uer- bo traduco, & alia in uerbo transfero. Cum uero eandem eſſe hodie, quae ueteribus fuit cum, om- nes eruditi norunt. At iſti nondum edocti Or- thographiam, pro am & com, ſcribere ſolent, an & con. Quod ſane quam fiat perperam, noſtra te docebunt Grammatica. Et haec de Etymologia Praepoſitionum breuiter monuiſſe, ſatis ſit. nunc ad Coniunctiones accedamus.

De

De Etymologia Coniunctionum. Cap. VII.

PRIMVM ualde miror, quamobrem nostri Grammatici sigificationes Cõiunctionum uocent Potestates. Quasi uero non actu significent id, quod significant. Sane, si uocum significatus, eorum formae sunt, non materiae elementares, sicut recte docuit Scaliger, quomodo non potius erunt dicendi actus, quam potestates? Sed quomodo tamen has ipsas potestates enumerant? & quomodo singulis potestatibus suas Coniunctiones adnumerant? Age hoc nunc deinceps uideamus: & quid nostrae uires contra possint, experiamur. Vox Simul, quale sit aduerbium, & quid significet, praecedenti capite ostendimus. Nostri, non animaduerso proprio uocabuli significatu, quem dixi, Coniunctionibus copulatiuis adnumerant. Sed manifeste falluntur. Nam in omnibus exemplis, quae uulgo afferuntur, significationem Aduerbialem retinet. Coniunctio ac, quando collationem significat, ponitur pro quã, per antimeriam. Neque, quod per apocopem dicitur, nec: quidam Copulatiuis, quidam disiunctiuis adnumerant. Posteriorum sententiam magis approbo. Etsi enim coniungit uerba, tamen res disiungit. Quod enim isti dicunt uerba copulari per disiunctiuas, sensum autem disiungi: friuo

lum

lum esse uidetur, mea quidem sententia. Quomodo enim alius sit sensus, quam quem ipsa uerba exprimunt? Vt, cum dico: Neque ego, neque tu fecimus. coniungo & uerba & sensum: sed res disiũgo, nempe meam personam, a tua persona: & dico, neutrum fecisse. Sed hoc quid est? quod Dubitatiuas faciunt Coniunctiones, an, ne: enclyticam: anne, nonne, necne, num: quae eadem etiam Interrogationi inseruiant? An istae uoces non sunt Aduerbia interrogandi? & si sunt quomodo erunt coniunctiones dubitatiuae? Satis hoc pro imperio uestro, quod in pueros habetis, o Grammatici. Nam ubi uobis lubet, erunt, ne, an, anne, nonne, aduerbia Interrogatiua: ubi uobis aliud rursus uitiosa libido suaserit auspicium, erunt Coniunctiones Dubitatiuae, quae etiam interrogationi inseruiant. Dicitis uero, Coniunctiones quamquam quamuis, etsi & licet (nam nullam ego noui Coniunctionem, quae uocetur, Licebit) esse Aduersatiuas: quae, ut uos definitis, diuersam sententiam superiori subijciãt. Audite nunc, quid ego dicam: &, quid recta ratio uos doceat. Manilianam orationem sic orditur Cicero: Quamquam (inquit) mihi semper frequens conspectus uester multo iucũdissimus, &c. Rabirianam sic: Etsi, Quirites, non est meae consuetudinis initio dicendi rationem reddere, &c. Quaeso uos Grammaticuli, quid hic in utraque oratione praecedit, cui Cõiunctio quamquã, tamquam diuersae orationi, aduersetur? Ego dico, has Coniunctiones esse Concessiuas: quales etiam sunt, quidem, equidem,

dem, ſane, tametſi: quarum poſtrema non raro Ad uerſatiuam ſignificationem uidetur obtinere: niſi quis aliter ſenſum & ordinem uerborum, in eiuſmodi orationibus collocet. Concedunt enim & approbant aliquid hae Coniunctiones: cui poſterior ſententia aduerſatur: ut, cum dico: Quamquam uos nouitij ſcriptores eſtis cani & barbari, & quãquam pollineo cribro ueſtros paſſus ſubtiliſſimos decutitis, & quamquam inceditis palliati, obſtipo capite & caperata fronte auditin' quid uobis largiar, tamen eſtis indocti & ſuperbi. Nam ἀμάθεια θρασεῖς & ſcribendi κακοηθὲς: λογισμὸς δὲ ὄκνον φέροι. Niſi enim crediditſetis uos plus ſapere alijs, numquam ad ſcribendum libros artis Grammaticae animum tam rudem, atque indoctum appuliſſetis. Sed nondum eſt ſatis ueſtrarum ineptiarum. Dicitis ad Coniunctiones Aduerſatiuas pertinere etiam corrigendi particulam immo: & diminuendi uoculas, ut ſolum. Deum immortalem, ut mihi ſaepe

Bilem, ſaepe iocum ueſtri mouere tumultus?

Et quaenam illa eſt corrigendi particula, immo? An non immo aduerbium eſt affirmandi? Immo etiam dicetis. Quid? An non ponitur interdum, pro, quin potius? Immo uero ſubijcietis, ut apud Terentium. Cum prima luce ibo hinc. M. immo de nocte cenſeo. pro, quin potius, uel, pro, magis, uel ſimpliciter. pro quin: quod tamen ipſum Aduerſatiuum eſſe non negamus. Atque, ut demus uobis, immo habere interdum

in ſe

in ſe correctionem praecedentis ſententiae, ſeu limitationem: an propterea nomen Aduerſatiuae illi adimetis, & particulam corrigendi uocabitis? Quod hoc eſt nouitatis ſtudium, Grammatici? Tὸ At habere ſignificationem deminuendi quis umquam audiuit? T ̀ Solum, eſſe particulam Deminuendi, quis umquam fando percepit, aut legendo comperit? Nam Solum & Saltem eſſe Coniunctiones exceptiuas ſeu condicionales, in confeſſo eſt, apud omnes eruditos. ut, de re una ſolum diſſident, de ceteris mirifice congruunt. Cic. Conceditur hic conſenſus in rebus omnibus: excipitur tantum una, cum particula Solum ſit ſolummodo una, & non plures, in quibus diſſident. Sed haec ſignificatio exceptiua, ſiue limitatiua magis eſt euidens in alijs, ut ſunt, ſaltem, modo, dumtaxat, ſiquidem. Quod ſi quis particulas tantum & ſolum malit retinere inter Aduerbia, Decrementi, uel etiam Comparationis, ſane huic non prorſum repugnabo. Nam quod ad uoculas attinet, non ſolum, non tantum, non modo, pro non tantum: item, ad uoculas: ſed etiam, uerum etiam: Conſtat omnibus, quod illae ſint duarum ſignificationum Aduerbia, Negandi, & Comparandi, hae autem duorum ſignificatuum Coniunctiones, Aduerſatiui ſcilicet, & Copulatiui. Inter Cauſſales numerant iſti populares noſtri, etiam ſi, ni, & niſi. At, niſi me fallit animus, etiam hic ineptiunt. Nam quod ſtatim ſubiungunt pertinere ad cauſſales etiam condicio-

nales, seu exceptiuas; nihil aliud agunt, nisi, quod unum errorē alio accumulant. Longe enim aliud sunt condicionales, & longe aliud caussales: sicut longe differunt, caussa, & condicio. Vt caussa exprimitur coniunctione, quod cum dico: Gratum est mihi, quod uenisti. Innuitur enim caussa uoluptatis meae, quam concepi, esse aduentus tuus. Sic cum dico: uelim, ut ad me uenias: exprimitur caussa finalis meae uoluntatis per coniunctionem, ut: nempe, aduentus tuus, quem opto & desidero. Nā, si quaerā ex te, cur me uis? cur oras? respondes caussam: uolo, ut ad me uenias. At secus fit in condicionalibus, ubi nulla est significatio caussae, sed esse tantum, aut fore quasi praesumitur. ut: Si nihil attuleris, ibis Homere foras. Abitionis, seu exclusionis caussam innuit quidem Ouidius, esse manus uacuas & nihil afferentes. Sed in Homero nō ponit simpliciter, sed cum condicione. Potest enim fieri, ut non uacuas, sed plenas afferat manus, ideoque non excludatur. Vbi ergo effectus est condicionalis & Hypotheticus: & ubi ipsa etiam caussa istius effectus est Hypothetica: ibi non possumus coniunctiones istas simpliciter habere pro caussalibus. Vt, cum dico: Nisi uos Crammatici libros uestros, a mendis, & uitijs repurgaueritis, ego uos cum uestris libris, e mea schola quatiam foras. Neutrum hic simpliciter affirmo. Neque enim dico, me libros uestros simpliciter esse exterminaturum; neque simpliciter dico, uos numquam esse mendas e libellis uestris sublaturos. Sed utrumque horū

cum

cum condicione a me profertur. Ad Ratiocinatiuas referunt etiam nostri homines, Nimirum, puta, (quod est uerbum Imperatiui modi) scilicet, uidelicet: quae etiam uim affirmandi habere dicũt. Nos ista pro affirmatiuis Aduerbijs proprie habemus: interdum tamen, per antimeriam, pro Caussalibus, & completiuis poni coniunctionibus non infitiamur. Sed Grammatici modo inter Aduerbia, modo inter Coniunctiones refecunt: & alias uocant Completiuas, alias caussales, alias ratiocinatiuas. Quare? quia

Sic uolo: sic iubeo: stat pro ratione uoluntas.

Numquid hoc iterum satis pro magisterio suo in pueros, tamquam in seruum pecus? Postremo numerant enclyticis coniunctionibus uoculam alienam, & propriam omittunt. Ne enim interrogatiuum est aduerbium: & nam completiuum, ut ipsi uocãt, est enclyticum: ut, quis nam? quae nam? Sed quando haec particula fere tantum inseruit interrogationi uehementer dubito, utrum aduerbio potius, an coniunctioni sit adnumeranda?

Reliqua est INTERIECTIO, cuius differentias non omnes recitant Grammatici. Nam earum plurimas reliquere in Aduerbio: sicut nos superius admonuimus. Cumq. duo accidant Interiectioni, nempe figura & species: neutrum isti explicuerũt: sed ne meminerunt quidem. Ostendi hucusque ex magno errorum cumulo, qui in Etymologia nostrorum Grammaticorum passim occurrunt, tantummodo crassissimos, & paene manibus contrectabiles.

ctabiles. Nunc, priusquam definitiones, & diuisiones, ab ipsis traditas, examinem: subijciam eiusdẽ farinae errores, nempe crassos, & pingues, qui sese passim in illorum syntaxi offerunt. Hanc enim alteram huius Grammaticae Strigilis partem initio constituimus. Oro autem aequum lectorem, ut, omni praeiudicio sublato, etiam ad huius caussae cognitionem aequanimis ueniat: & utrorumq. dicta & scripta ad iustam stateram, & aequam libram appendat. Tum enim facile deprehendet, in quam partem ueritas, quae falsitate semper est ponderosior, sit inclinatura. Nolim autem aequus lector mihi succenseat, siquando aliquid acrius uideor in Grammaticos dicere. Agitur enim hic de publico bono: agitur de tenera aetate pueritiae nostrae: quam qui prauis opinionibus imbuit, & nugis inutilibus grauat: neque tamen se de illis moneri patitur: ei nullo modo parcendum esse iudico. Nam, etsi Scaliger iamdudum aetatis tam ueterum, quam recentium Grammaticorum errores castigauit: tamen nostri nouitij scriptores, qui non sine crimine atrocissimi plagij, quidquid habent boni, ex praeceptorum suorum libris furtim transcripserunt, & nouo titulo nouum librum fecere: quales fuere, qui intra unum decennium, puta ab anno nostro tricesimo usque ad quadragesimũ, decem & plura noua peperere Grammatica: hi, inquam, manifestos ueterum & recentium errores, adeo non agnouerunt hactenus, ut aliorum errores trecentos, ipsi trecentis alijs liberalissi

me accumulauerint. Atque hi ſunt, qui uulgo ab omnibus, atque etiam ab ijs, quos numquam docuerunt, neque docere umquam potuerunt, cupiunt ſalutari praeceptores: & qui uulgo habentur, pro optimis, atque terſiſſimis Grammaticis: neque ſolum pro Grammaticis, ſed etiam pro Rhetoribus. Verum quales ſint Rhetores, & quomodo artem iſtam contaminauerint, id nos alia Strigili docebimus. Quantum ad me attinet, publice hic teſtatum facio omnibus, quod cuiuis homini, qui me docturus ſit meliora, quam haec ſint, ego ſim gratias habiturus: dummodo id faciat abſque conuicio, & famae laeſione. Nam ſiquis inſcitiae & impudentiae crimen mihi immerenti obiecerit: oſtenderitq. aliquid a me inſcite & proterue eſſe, in meis Grammaticis, ſcriptum aut dictum, ego eam admonitionem non aegre feram. Non enim eſt calumnia, inſcitiae accuſare eum, qui aliquid inſcite & indocte ſcripſerit, atque in lucem poſt emiſerit. Palmam ſciant iſti in medio poſitam eſſe omnibus, quicũque in hoc ſtadio laudis decurrere inſtituunt. Verum noui ego huius ſaeculi mores malos. Nam, quando homines neque ſua uitia excuſare poſſunt, neque aliorum recte facta, & recte dicta, iuſte reprehendere, atque ſolidis rationibus ea confutare: ibi demum ad conuicia confugiunt, omnium Sycophantarum ultimum aſylum. Obijciunt enim ſcriptoribus eiuſmodi, aut ſtudium nouitatis, & contemptum praeceptorum, aut etiam ficta & immania crimina, ac om-

E nis


nis generis scelera atque flagitia. Ac tum demum honorem se suum egregie defendisse iudicant. Sed ad rem.







TRACTATVS SECVNDI



De Syntaxi Nominum, & Pronominum. Cap. I.



VPLICEM faciunt Syntaxin, unam ſimplicem, ſeu uſitatã: quae in coniungendis uocibus analogiam ſequatur. Alteram figuratam, quae a communi conſuetudine loquẽdi recedat. At, cur non idem diſcrimen obſeruant etiam in alijs Grammaticae partibus ſeu ſpeciebus? An enim nullae ſunt in Orthographia figurae: nullae in Proſodia, nullae in Etymologia? An non figuratum eſt, quando aliqua littera, aut ſyllaba in ſcribendo apponitur, aut demitur, quae alias in uſitato, & quotidiano ſermone nõ additur, aut demitur? An non figuratum eſt, quando aliqua ſyllaba contra morem uſitatum in pronun-

ciando uel corripitur, uel producitur? ut,

Cũ tacet omnis ager, pecudes, pictaeq. uolucres. & : Matri longa decem tulerunt fastidia menses. Virg. An non figuratum est, quando nomen induit significatum aduerbij, aut aduerbium tribuit significatum nomini? ut, Torua uidentem : pro, torue.

Omnia sunt ingrata : nihil fecisse benigne est. Sed mittamus hoc, tamquam leuiculum. Nã alia sunt, quae minus possunt tolerari, quam istud. Concordantiam, & Regimen, quae illi ponunt inter accidentia Syntaxis, rerum monstrosarum monstrosa uocabula, praeterimus consulto: quando ab alijs quoque neglecta fuisse animaduertimus. Nam curando fieri quaedam maiora uidemus, Vulnera : quae melius non tetigisse fuit. Educatores pueriles, qui syntaxin Pronominum a syntaxi Nominũ diuulserunt, omisere Regulas necessarias scitu, & non necessarias substituerunt. Nam Quinta Regula syntaxeos Nominum, nihil differt a tertia Regula syntaxeos Pronominum : quam ipsi postponunt syntaxi Verborum : pulcerrimo (si dijs placet) ordine. Secunda quoque Regula eiusdem syntaxeos de Genitiuis, mei, tui, sui, nostri, uestri, nihil est aliud, quam exceptio, seu limitatio quaedam primae Regulae de Genitiuo cum Nomine, in syntaxi Nominum; sicut te nostrae docent syntaxeos praecepta. Contra omisere isti compilatores compendiarij, seu potius dispẽdiarij, praecipuas Regulas, de Interrogatiuorum Pronominum cõstructione : de Relatiuis Pronominibus : de adiectiuorum

Nominum

Nominum relatis: ut ſunt, talis, qualis: tantus, quá-
tus: tot, quot. &c. Sed & tertia horum Compendia
riorum Regula in eadem ſyntaxi, de Genitiuo cum
Nomine, aut otioſa eſt, (poſſunt enim exempla iſta
referri ad primam & ſecundam Regulam: ſi quid
ſecundae addatur) aut certe mutila eſt. Quod enim
dicunt uerbalia a tranſitiuis deriuata, Genitiuum
adſciſcere: hoc etiam eſt uerum de uerbalibus, quae
ueniunt a non tranſitiuis, ſed ab abſolutis, quae
ipſi uocant Neutra, & a deponentibus. Dicunt
enim Latini: Telluris arator: decurſio militum:
ultor ſcelerum, dolorum, mortis. Nemo tamen
iſta uerbalia dicit uenire a tranſitiuis. Sed permit
tamus ſane ipſis hanc Regulam, quando ita uolũt.
Illud quomodo uerum eſt, quod ijdem Educatores
pro Regula habent, dicendo: Comparatiua & ſu-
perlatiua Genitiuum adſciſcunt pluralem, uel ſin-
gularem. &c. Rectius alteri ad ſextam Regulam
ſyntaxeos Nominum annotarunt, quod Compara-
tiua interdum uim habeant Partitiuorum: Sed
exemplum tamen neutrubi quadrat ad Regulam.
Quando enim Horatius dicit: Maior iuuenum:
non pendet hic Genitiuus ex natura Comparatiui:
licet uerum ſit, quod dicunt, Comparatiuum habe
re uim partitiuam. Etſi enim uim habet partiti-
uam, ſicut & ſuperlatiuus: tamen eandem conſtru
ctionem non habet. Nam Comparatiuus ſua na-
tura poſtulat Ablatiuum, non Genitiuum. Vnde
ergo dices, iſte Genitiuus iuuenum cum Nomine
Comparatiuo Maior? Audi Scaligerum. Si dicas,

inquit, O maior iuuenũ, directa oratione ad duos
Pisones, non redditur casus ille secundus, iuuenum,
Comparatiuo. Neque enim fieri potest, ut alter
Piso maior sit, quam duo Pisones iuuenes, (alias
enim alter iste non modo suo fratre, sed etiam se-
metipso erit maior) sed refertur ad alterum, sic: O
alter iuuenum, qui natu maior es. Haec Scaliger.
Videtin' esse Ellipsin hoc loco partitiui Nominis, a
quo Genitiuus iste pendeat? Sic apud Plinium: Pi-
scium feminae maiores, quam mares. Subaudien
dum: alteri piscium, qui sunt feminae. Maior na
tu, minor natu, grãdior natu: sunt exẽpla ἀπροσδιό-
νυσα. Non enim possunt isti Ablatiui exponi, per
particulam, quam. Quoniam ablatiui sunt instru
menti uel modi: qui a nominibus comparatiuis &
superlatiuis, eadem forma dependent, qua cõstrui
solent cum Absolutis. Dicimus enim, grandis na
tu, & natu maximus, aut minimus. Non est huic
dissimilis & illa fatuitas, quando inter particulas
seruientes Comparatiuo isti recensent Ablatiuos
instrumenti siue modi, MVLTIS PARTIBVS: ut,
Sol multis partibus maior est, quam terra. Taceo
iam, quod Aduerbiorum, eo, quo, tanto, quanto,
& similiũ constructio ad syntaxim nominũ non per
tinet. Cicatricem porro uidebãtur, in Etymologiae
curatione, duxisse uulnera illa, quae Genitiuis fru-
gi, nauci, nihili, mancipi, sunt inflixa. Sed hic su
bito, in syntaxi nouiciarum Grammatistarum om-
nia recrudescunt. Putant enim frugi hominem, &
nauci, & nihili, & mancipi, eadem constructionis
forma

forma dici, qua dicimus frugalem hominem, & futilem, & uanum, & seruilem. Ego uero in Etymologia dixi, ista nomina non aliter inter se iungi, quam substantiua iunguntur cum substantiuis in Genitiuo casu, uerbo sum significante Qualitatem. Qua enim ratione dicimus, res momenti, homo pretij, siue magni, siue parui: homo horarum omnium: eadem ratione dicimus, homo frugi, & homo nihili, qui sit pars quaedam nihili, uel de nihilo. homo mancipi, qui sit pars seruitij, uel de mancipio. Haec mea est sententia. siquis meliorē scit, is proferat meliorem: qui non scit, det locum ei, qui queat. Ceterum syntaxin de Aduerbijs, cum Genitiuo casu construi solitis, cur obsecro tradunt in syntaxi Nominum? An hoc non est caelum terrae, & terram mari confundere? Dicunt praeterea de Participiis, in Nomina degenerantibus, quae adsciscunt Genitiuos: ubi inter alia exempla ponunt: pertaesus thalami & taedae. Regulam accipio: sed exemplum respuo. Ita enim dixit Virgilius, Si non pertaesum thalami, taedaeq. fuisset: pro, pertaeduisset. Dicimus enim, taedet me, & pertaedet me matrimonii. Et sicut Latini dicunt, Licitum est tibi, pro licet: Libitum est mihi, pro libet: ita etiam dicunt, Pertaesum est me, pro pertaeduit, Exēplum habes in Mostellaria Plauti: ubi dicitur: Ita me ibi male conuiuii, sermonisq. pertaesum. Suetonius uerbi constructionem in Participio retinuit, loquens de Caesare: Quasi pertaesus suam ignauiam. In syntaxi de Ablatiuo cum Nomine

ponunt secundo loco, regulam nouitii compendiographi: quam sapientiores, dum & ipsi student cōpendio, coniunxere cum Regula de Adiectiuis significantibus desiderium & notitiam. Regulam, quae apud alios in syntaxi Nominum est undecima, ego melius iudico posse in syntaxi uerborum substantiuorum explicari. Si enim exempla, quae ibi ponuntur, ad amussim examines, inuenies in plerisque omitti uerbum substantiuum: in quibusdam etiam poni expresse: ut, Asini sunt amplissimi corporis, ceruice ualida. Col. Damocles erat adolescens Argiuus, maioris animi, quam consilij. Liu. Sunt mihi bisseptem praestanti corpore nymphae. Virg. Quae uero afferuntur exempla, de Nominatiuo cum Ablatiuo, eorum non pauca pertinent ad cōmunem Regulam de Ablatiuo Instrumenti. Ad duodecimam Regulam de syntaxi uocis, Opus, annotant: quod etiam inueniatur uox Opus Genitiuo iuncta, cuius rei exemplum afferunt ex Ouidio:

Non miror est uirtus, quam quaerere, parta tueri:
Casus inest illic; hic erit artis opus.

At ego illis dico, Opus artis hic eodem modo dici, quo apud Virgilium legis, Sed famam extendere factis, Hoc uirtutis opus. Et in Planci ad Ciceronē epistola, ponitur Opus cum Nominatiuo; sicut in hoc; Dux & auctor nobis opus sunt. Proferant ergo aliud exemplum, aut hoc a Regula tollant.

De Syntaxi Verborum. Cap. II.

TRANSEAMVS nunc ad ſyntaxin uerborum; ubi prima occurrit Regula, de Nominatiuo cum uerbo finito, & perſonali. Alterum hoc adiici non eſt neceſſe. Primum enim omnia uerba ſunt perſonalia, nullum imperſonale; deinde, exempla repugnant. Nam, quae illi uocant Imperſonalia, illis inuenies innumeros eſſe additos Nominatiuos; ut, ſecundas res decent ſuperbiae. Nonne uides, Nominatiuum ſuperbiae eodem numero, eademq. perſona reſpondentem uerbo, decet: quod illis Imperſonale eſt? Exempla plura pete ex noſtris Grammaticis. Miror autem, cur compendiographi recentiores, Nominatiuum illum, uerbo finito addi ſolitum, uocent Nominatiuum agẽtis & patientis. Dauus hic ſum, non Oedipus: ideoque iſtum parabolam mihi cupio, ab iſto Delio natatore edisceri. Equidem Nominatiuus uerbo additus rem ſignificat, non agere aliquid, aut pati: quod te uulgata Nominis definitio poterat docere. Appendix, quam ijdem ad Regulam appendunt, fuiſſet melius appenſa Exceptioni, qua uerba primae & ſecũdae perſonae a Regula excipiuntur. Sed hanc illi exceptionem, ſtudio breuitatis, omiſerunt: ſecuti Horatij praeceptum: Breuis eſſe laboro, obſcurus fio. Cum autem tertiae quoque perſone uerba poni ſoleant abſolute ſine Nominatiuo: minor u-

troſque

trosque compendiographos tam fuisse stupidos, ut nihil ea de re meminerint: nisi, quod alteri de falso dictis Impersonalibus parũper admonent: quod ea constructionem absque Nominatiuo inchoent. Quod tamen ipsum, si capiatur de omnibus Impersonalibus, quae illi uocant: nihil eo poterit dici falsius, nihil incomptius, nihil absurdius, nihil a uero alienius. Equidem si dicas: Neminem apud mensam uerecundari decet: quadrat exemplum ad regulam; sin dicas, Secundas res decent superbiae: iã non quadrat. Erotematici in Quarta Regula huius syntaxeos enumerant quattuor uerba substantiua, sum, forem, fio, & existo. Atque, si fio & existo pro substantiuis habenda sunt, cur nõ etiam gigno, & gignor, & nascor, & orior, & consimilia erunt substantiua. Nam, quid aliud est, Fieri hominem, quam Gigni: nisi quod Fieri esse latius extendit? Aut, quid aliud est, aliquem existere hominem, quam nasci, uel oriri? Longe enim errant, qui pro ijsdem habent esse & existere. Quae enim existunt, ea non sunt: ut, cum Cicero dicit: Quo pacto concitetur uisus, ubi sit, quomodo existat, atque ita repente erumpat. Discrimen uides. Nam existere risum dicit, quando oritur, quando fit, quando erumpit. Idem pro Coelio, ubi fingit aliquem existere, id est, oriri ex mortuis, Existat, inquit, ex hac familia aliquis, & potissimum caecus ille; puta, qui iam ante fuerat. Valla quoque num olim docuit, quod existere significet cum motu, quasi prodire & exsurgere. Vall. lib. 5. cap. 53. Idem

esto

esto iudicium, de uerbo Fio: quod & ipsum significat motum, nõ quietem, aut substantiam, sicut uox sum, forem, & antiquum fuo: cuius adhuc praeterita sunt in usu. Enimuero istaec Enumeratio quadripartita, uerborum substantiuorum, aliquot bonos uiros in errorem induxit: ut crederent idem esse existere, quod est esse. Porro autem, & Regulã huc ponunt de Adiectiuis, in genere Neutro, pro substantiuis poni solitis: ut, Fama malum. Humor dulce satis. Varium & mutabile semper Femina. Ecquid uos pudet ea, quae ad syntaxin Nominum pertinẽt, & quidem ad Primam Regulam propriæ: ea, inquam, ad Quartam Regulam de syntaxi uerborum referre, loco, per immortalem Deum, alienissimo, & inconuenientissimo? Attexitis uero & formulas nominandi: ut, Est mihi nomen Pomponius, uel nomen Pomponij, uel nomen Pomponio. Item; Fecerunt illi nomen Ascanium. Nugas profecto agitis, in re manifesta. Nam haec omnia pertinent ad Regulam, de uerbo Est pro habeo usurpari solito, cum Datiuo personae: ut, Est mihi nomen Pomponius, i. habeo nomen Pomponius. Hecyra est huic fabulae nomen, Id est: haec fabula habet nomen Hecyra. Ponitur utrobique nomen propriũ τεχνικῶς, seu materialiter. Si enim dicas: Nomen Mercurii est mihi: pro, habeo idem nomen, quod Mercurius: pertinebit exemplum ad regulã de substantiuo cum substantiuo in genitiuo casu. Sin dicas: Scipio, cui Africano cognomen fuit, iam pertinet Exemplum ad Regulam de geminis Dati-

uis,

uis, cum uerbo ſum: quorum alter perſonam, alter rem ſignificat. At, cum Liuius dicit, Fecere illi nomen Aſcanium: ſcitote uos Grammatici, & uos Erotematici; quod Aſcanium, ſit Adiectiue poſitum. Sicut enim dicimus, Iulius, Iulia, Iulium; ut, gens Iulia; & ſicut dicimus, Troius, Troia, Troium; Romulus, Romula, Romulum: ita etiã dicimus; Aſcanius, Aſcania, Aſcanium. An non enim legiſtis; Horatia pila? Romula tellus? Nolim profecto uos iſtaec diutius ignorare. Nam in rem eſt puerorum maxime, uos iſta ſcire; ne ipſi pro Latini ſermonis elegantia, doceantur a uobis ſoloeciſmos & barbariſmos. De figuris & figurata ſyntaxi, dicam ſub calcem huius ſecundi tractatus nunc ad reliqua progredior. Ceterum ualde probo illorum conſilium, qui omnes regulas de Genitiuo caſu cum uerbo contraxere in unum locum. Sic enim pueri citius eas apprehendunt; & interrogati rationem conſtructionis, reſpondent multo expeditius, quam ſi ſparſim tradãtur Regulae, quae ſunt eiuſdem generis. Poſtquam igitur dictum eſt, de Nominatiuo cum uerbo iuncto, dicendum eſt, proximo loco, de Genitiuo cum uerbo; tum de Datiuo; poſt de Accuſatiuo; demum etiam de Ablatiuo, uerbis addi ſolito. Cum autem pleraque ſe habeant recte, quae Erotematici ex aliorum libris tranſſcripſere, nec regulae tantum ſint bonae & utiles, ſed etiam idonea, & apposite ſubiecta exempla; miror ego, & miror uehementer, quae cauſſa impulerit nouicios compendiographos, ut

ple-

plerasque regulas immutarint, atque inuerterint, nonnullas etiã peruerterint: sicut & Regulã de Nominatiuo, cum uerbo finita, ualde perspicuam & planam, ipsi multo fecere obscuriorem. Solet enim istis dispendiographis euenire; ut nimium intelligendo, nihil intelligant. Ego certe usitatas in scholis Regulas, e Prisciano & Valla, atque ab aliis acceptas, retinendas esse censui; neque immutandas, nisi id postularet necessitas. Nolo enim gloriam mihi captare opere Grammatico; quando hodie pro Grammaticis habentur, qui non sunt; & proin de Grammaticorum genus uulgo contemnitur. Nam in coetu doctorum hominum, Grammatici sunt uiri imorum subselliorum. Quod tamẽ istis Grammaticis non accidit immerito: propterea, quod eos se esse dicunt, qui non sunt. Ego autem, cum sim multis cum uiris summis, in mea uita, saepissime conuersatus: neminem uidi umquam, qui se pro perfecto Grammatico haberi uellet; praeter indoctos, qui modo non uolebant in regno Grammaticorum primas tenere. Sed ad rem. In prima Regula, quae est de uerbis emendi, uendendi, aestimandi: Item in secunda, de uerbis accusandi: & in tertia de uerbis memoriae, apud compendiosiores Compendiographos nihil reprehendo. Nam bona fide & probe ex aliorũ libris ea nomina sunt transscripta. Probo etiam primam Regulam de Impersonalibus, ut uocant, cum Genitiuo. Sed in secunda Regula tam erotematum, quam compendiorum, nouicios compilatores, cũ suis auctoribus,
dico

dico errare; quod uerbis intereſt & refert Ablatiuos tribuunt. Quaſi uero, cum Latini dicunt, Mea intereſt, tua intereſt, ueſtra intereſt: mea refert, noſtra refert; non loquantur potius in Accuſatiuo plurali, quam in Ablatiuo ſingulari. Nam praepoſitio, per compoſitionē addita uerbo, facit, ut interdum Accuſatiuus aut Ablatiuus, quem natura praepoſitionis requirit, recte addatur uerbo: ut, adeo patrē: pro, eo ad patrem. Interſtrepit anſer olores; pro, ſtrepit inter olores. Quod tamen de uerbis tribuendi ſignificationem habentibus non eſt accipiēdum. Haec enim Datiuum exigunt, etiamſi componantur cum localibus Praepoſitionibus. Vt ergo Latini dicunt: interſtrepit anſer olores; pro, anſer ſtrepit inter olores: ita etiam dicunt, hoc mea intereſt; pro, inter mea eſt; quaſi dicat, inter mea negotia eſt: quemadmodum etiam Scaliger exponit. Sic cum dico; mea, tua, ſua refert: aut diuiſim intelligi debet, pro eo, quod eſt: re mea, re tua, re ſua fert: aut, quemadmodum exponit Scaliger: hoc mea refert: id eſt, mea repraeſentat, mea exprimit negotia: quaſi dicas, hoc ad me pertinet: hoc mei eſt negotij. Dicunt enim Latini: mores alicuius referre, referre uultum, & os patris: pro, exprimere, & repraeſentare. Miror autem, cum noſtri Compendiographi cogitarēt omnia redigere in ordinem meliorem: cur in Syntaxi uerborum cum Genitiuo, omiſerint uerba ſignificantia motum, uel quietem in loco; ut, cum dico: Sum Romae, uixi Tarenti, fui domi meae. Nam, cur ab hac ſyn-

taxi

taxi iſtam regulam ſeiungerent, cauſſam nõ uideo. In ſyntaxi porro uerborum, cum Datiuo multae ſunt ſuperfluae Regulae nouellorũ Educatorum: qui, dum breuitati ſtudent, fiunt plus aequo longiores: ita, ut uere de illis dixerit Horat. Dum uitant ſtulti uitia, in contraria currunt. Equidem Primã Regulam aſſignant uerbis ſignificantibus commodum aut incommodum: ſecundam uerbis imperandi, nnnciandi, iraſcendi: tertiam uerbis, quae ſignificant obſequi, & aduerſari: quartam uerbis, confidendi. At, ſi ſic libet inſanire, poterimus adhuc excogitare centum regulas. Quid ergo? Quaeram ego ex uobis, Compendioſi rerum nouatores, an non unica regula, iſtas quattuor complectatur omnes, & reliquas excludat omnes. Dicam enim ſic: Verba omnia, in quibus eſt quaedam Concedendi ſignificatio; hoc eſt, quae ſignificant tribuere, mandare, obſequi, & aduerſari, Datiuum perſonae, aut rei admittunt. Quid uultis amplius? An non, qui alteri nũciat, aut narrat quidpiam, eidem incognitam rem tribuit & notam facit? an non eſt tribuere, aliquid cum aliquo communicare? an non, qui alteri fidit, fidem ei dando, aliquid ei tribuit? an non, qui iraſcitur alteri, etiam ei aduerſatur? Sed Regula ſexta quid uult ſibi? Adduntur (inquiunt) etiam his uerbis Datiui Aduerbiales; ut, tempori ſurgendum, ueſperi ad me miſit litteras, breui reſpondebo. Hui, quid monſtri Datiuus Aduerbialis? Numquid etiam Ablatiui ſunt aduerbiales; ut, hodie, pridie, poſtridie, ſicut dicimus, meridie.

Item, accusatiui? ut, spero illum affuturum propediem. Cic. Multum bibunt, parum dormitant; parum nos docent isti nouelli Grammatici ? quid ? an non etiam Vocatiui erunt Aduerbiales: ut, cum dico: O tu Grammaticule, longe omnium ignauissime ? Vnde enim deriuetur, longe Aduerbium: nisi a uocatiuo longe; si quis te audiat ? Quid uero, si Aduerbium heri sit Genitiuus Aduerbialis, a Nominatiuo Herus ? Profecto nimium fui incircumspectus in meis Grammaticis: qui ista non obseruauerim. At quis umquam audiuit, uel Aduerbio casus Nominum accidere: uel casus aliquos Nominum esse Aduerbiales ? Certe audiui ego quosdam uiros emunctae naris dicere: quod breui esset ablatiuus nominis, non Aduerbij, a Nominatiuo breue: substantiue usurpare soliti: more aliorum neutrorum. Si enim dicas, Respondebo breui: idem est, acsi dicas, cum breuitate; uel subaudiendum est, oratione, aut modo breui. ut, cum dicimus, respondebo paucis, s. uerbis. Virgil. Dulce satis humor: id est, res dulcis, uel dulcedo. Ita cum dico: breui ad te ueniam, subintelligo, tempore. Atque, ut maxime concedamus istis fanaticis nugiuendis, breui esse aduerbium: an propterea dicendum erat, esse Datiuum Aduerbialem ? &, si maxime esset Datiuus Aduerbialis, an propterea talis constructio erat referenda ad syntaxin uerborum cum Datiuo Nominis ? Tempori & uesperi, pro, tempore & uespere alij interpretantur; ponuntq. haec ambo inter Aduerbia saniores Grammatici. Quorum sententia

tia, si uera est, magis fuissent Ablatiui dicendi Aduerbiales, quam Datiui. Nam ablatiuo, aut accusatiuo efferuntur nomina temporis, numquam autem Datiuo. Quid, quod etiam Temporius dicunt Latini, conformata uoce, ad quandam similitudinem aliorum Aduerbiorum, quae a Comparatiuis nominibus descendunt? Vt interim nihil dicã e, & i terminationem esse indifferentem in multis Aduerbijs. Dicimus enim, here & heri. Sequitur alia fatuitas Compendiographorum: quod dicunt, uerbum est, positum pro habeo, esse impersonale. Quid ais, mastigia? An non aeque possum interpretari sum & es, per uerbum habeo, ac tertiam personam est? Est mihi pater, inquis tu: id est, habeo patrem. At ego dico: Sum tibi Mercurius, i. tu habes me Mercurium. Tu es mihi asinus: i. ego habeo te asinum, uel, pro asino. Ita apud Virg. Et eris mihi magnus Apollo. id est, habeberis a me Apollo: uel, habebo te pro Apolline. Et quidnam est hoc regulae? Impersonalia, quae continentiam significant, Datiuum postulant? Vbi ergo sunt illa Impersonalia, quae significant licentiam, libentiã, commodum, uel incommodum? An non ista etiam uerba, quae uos Grammatici uitilitigatores falso dicitis Impersonalia, cõstruuntur cum Datiuo personae aut rei, eadem de caussa, qua cetera: quae significant tribuere, obsequi, & aduersari? Quae enim nocẽt, ea aduersantur: &, quae prosunt, ea obsequuntur: Et, quae obsunt, dant incommodum: quae expediunt, ea tribuunt commodum. Quare super-

fluae ſunt etiam hae regulae: & uident omnes eruditi, quod puerilis aetas per uos miſere decipiatur. Nam uos, neceſſarijs praeceptis omiſſis, traditis nõ neceſſaria. Proximus iam ſe offert Accuſatiuus cũ uerbo: ubi compendium, bis, terq. bonum, nõ cum riſu, ſed ſerio miror, ſicut & in prima regula ſyntaxeos nominũ, de Pronominibus & Participijs, Nominum Adiectiuorum more, cum ſubſtantiuis conſtrui ſolitis. Nam, quid opus erat dicere: Deponentia actiuorum ſyntaxin imitantur: Et Neutra adſciſcunt Accuſatiuum rei cognatae: ubi una Regula ſatisfaciat tuo propoſito? Tam enim conſtruuntur cum Accuſatiuo, quae actiue ſignificant: ut Deponẽtia, & Neutra: quam, quae ſunt Actiua, ſiue Tranſitiua. Et quaenam, obſecro, eſt haec regula, ſiue obſeruatio? Quaedam Neutra (inquiunt noſtrates Grammatici) Accuſatiuos cognatae rei adſciſcunt: ut, aro terram: ſitio ſanguinem: ambio honorem: ſalto fabulam. Nam, quid eſt cognationis inter terram & arationẽ? aut, ſi hic eſt aliqua, age dic, quaenam eſt inter ſitim & ſanguinem? quae inter ambire & honorem? quae inter ſaltationem & fabulam? An non poſſumus aliud ambire, quam honorem? an non poſſumus ſaltare choream, non fabulam? Ludos alicuius ſaltare, dixit Plinius: & ſaltari carmina docuit Ouidius. Verba autem, quae duos admittunt Accuſatiuos, uocant noſtrates tranſitiua.

Quaſi uero tranſitiua nõ ſint omnium, quorum actio trãſmigrat in alium: & quae unum admittũt Accuſatiuum: in quem tranſit actio? Duas uero

regulas

regulas de Nominibus significantibus circumstantiam temporis, quo casu iungantur uerbis, quaeso uos, Educatores Compendiographi, quam mutilatim, quam corrupte, quam deprauate proposuisti? Recte alij posuere discrimen inter Ablatiuum temporis, & Accusatiuum temporis. At uos illud discrimen non recte praeteriistis. Perpendite enim tertiam Regulam de Accusatiuo cum uerbo: perpendite, inquam: &, quam frigida sit, quamq. gelida, si cum duabus alteris conferatur, facile animaduertetis. Quid enim dicam uobis? an non possum ad Quaestionem Vbi, respondere? Domi, in foro, in Italia, Romae, Athenis, Carthagine? Certe possum. Sed, si una regula uelim ista comprehendere: quae longis inter se passibus absunt: quantũ attulere chaos: & quas tenebras sermonis Latini pespicuitati offudero? Venio ad Regulas de Ablatiuo cum uerbo: ubi Compendiarij ponunt primã de Passiuis: nondum tradita syntaxi actiuorum in Ablatiuo: ualde praepostere. Est autem Regula antiquior haec: Passiuorũ proprius est Casus Ablatiuus, ex Nominatiuo actiui factus: cum praepositione a, uel ab. Pulcerrima sane est haec Regula: cui si addas haec uerba: & passiue significantium: nihil erit perfectius. Nam haec regula, praeterquam quod naturam constructionis passiuae declarat: etiam sermonis elegantem uarietatem cõmonstrat; ut, cum dico: Iulius uicit Pompeium. Idem est, cum hoc; Pompeius uictus est a Iulio. Milo occidit Clodium; &, Clodius a Milone occisus est.

Velim, ut me ames: Velim me a te amari. Phyllida solus habeto: Phyllis a te solo habetor. Volo autem addi passiuis, uerba passiue significantia: ut sunt, fio, ueneo, uapulo, item patior. Dicimus enim Latine, Non potuit honorificentius a me fieri de nepote. Cic. ad Attic. Et hic uenijt a te, antequam Romam uenit. Idem. Sic possumus etiam dicere (quamquam non occurrit exemplum) per analogiam; uapulaui ab homine nequissimo, pro uerberatus sum. Cicero etiam alibi dixit; Mundus per se, & a se non patitur. Et Plaut. in Trucul. Pati a uita dixit. Verum haec, ut sunt rariora, ita quoque parcius eis utendum est. De recentiori Regula nihil attinet dicere. Nam rerum nouarum studium, nullo umquam tempore, apud ullum bonum bene audiuit. Quid enim fuit necesse Prioreē Regulam sic mutare? Verba passiua, & his affinia, Ablatiuum exigunt cum praepositione a, ab, & abs? Cornicum oculos hoc est configere, ubi nihil afferas nouae rei, praeter alia uerba, quae ab aliorum uerbis nonnihil discrepent, scilicet ut uidearis aliquid excogitasse melius, & concinnius. Idem esto de alijs multis Epitomicorum Regulis iudicium; in quibus tantum uerbis dissident ab aliorum regulis. Delectu opus est, in conscribendis artium praeceptis. Nam, quae a ueteribus recte sunt tradita, ea retinenda, neque temere innouanda esse iudico. Quae uero reprehensionem & emendationem requirunt, ea candide & libere reprehendenda, & emendanda esse censeo; ne priscae aetatis, tamquam

aniculae,

aniculae, in quibuſdam rebus delirantis, omnia dicta, & facta approbare, & omnia ueſtigia antiquitatis, quamlibet a uia ueritatis deuia, religioſo cultu adorare uelle uideamur. Ad ſecundum Regulam de Ablatiuo cum uerbo, annotat Compendiarius haec uerba; Cum Ablatiuus ſignificat Inſtrumentum, praepoſitio cũ raro additur. Audio quid dicat iſte; ſed nullum uideo exemplum; quod addat. Igitur nugis iſtis oppono ea, quae a Laurentio Valla, contra eiuſmodi ſoloeciſmos, egregie diſputantur lib. 2. Elegant. cap. 6. Legat Compilator iſte, quiſquis eſt, caput integrum; & ſuum ſoloeciſmum inde corrigat. Numquam enim, numquam ablatiuus Inſtrumenti Praepoſitionem cum admittit. Additur autem cum, ubi ſignificatur Ablatiuus rei comes. Eſt enim comitatiua Praepoſitio, ſicut in Etymologia noſtra docuimus. Verbi gratia; Latine dices. Magno cum labore ſcripſi. Eſt enim ſcriptionis comes labor; non inſtrumentum. Qui enim ſcribit, is manu, tanquam inſtrumento, ſcribit. Dices item Latine; Gladio illum percuſſit tãquam inſtrumento; ſed non Latine dices, eum gladio percuſſit. Vide Vallam. Et quo tandem Reip. Latinae ſtatus deueniet; ſi Grammaticae artis ſcriptoribus liberum erit, pueritiam ſuam docere ſoloeciſmos? Tertia Educatorum puerilium Regula eſt, de uerbis implendi, onerandi, & quae his diuerſa ſunt; ut ipſi loquuntur. Haec Regula in aliorum Quaeſtionibus, & rudimentis multo accuratior eſt; cum dicunt; Copiae, & inopiae uerbis Latina con-

ſuetudine Ablatiui adduntur, interdum & Genitiui. Eſt etiam ſeptima eorundem Regula, de uerbis Repellendi ſignificationem habentibus, longe planior, & dilucidior, quam Educatorum puerilium Appendix admodum male & perquam intẽpeſtiue appenſa ad uerba implendi & onerandi. Quid autem Quarta Regula Educatorum puerilium eſt aliud, quam Regulae de duobus Ablatiuis deſignantibus conſequentiam pernicies & peſtis quaedam? Et quid haec ſibi uult Regula? Praepoſitio ſubaudita facit, ut Ablatiuus recte addatur. Quid? cum dicit Cicero; cõcordia ueſtra omnibus litteris eſt declarata. An non uox, litteris, Ablatiuus inſtrumenti eſt, per quod declarata fuit iſta concordia? aut ſi neges, eſſe Ablatiuum inſtrumenti, ſaltem cõcedas eſſe Ellipſin praepoſitionis in; quae ratio loquendi ad figuratã ſyntaxin pertinet. Item, cum Cicero dicit, A malis natura declinamus? an non uox natura ablatiuus inſtrumẽti eſt, uel cauſae, quae nos a malis deducit? Vides iam tu Educator puerilis, & pluſquam puerilis & infantilis: uides inquam, quot tu nouas nobis pepereris Regulas, & quam ſuperuacaneas, quamq. inutiles. Eiuſdem eſt farinae octaua Regula, de uerbis Afficio & Proſequor. Nam, qui dicit: affecit me iniuria, is modum & inſtrumentum actionis, ſeu affectionis dicit. Exprimit enim Qualitatem facti. Et qui ait: Proſequor te odio; quid aliud nominat, quam perſecutionis cauſſam, quae eſt odium. Ideo enim te proſequitur, quia te odit. Decima Regula de

uerbis,

uerbis, utor, fruor, potior, uescor, uictito & uiuo, omisit uerbum gaudeo. Qua enim ratione dicunt Latini: uiuo lacte, uictito caseo: eadem ratione dicunt: Gaudet patientia duris. Gaudere alterius malis & incommodis. Accedo recta ad syntaxin Infinitiuorum, seu uerbi infiniti: ubi tres Regulas non improbo: sed quartam, quae in Rudimentis est, de Infinitiuo, Esse: dico, perperam esse neglectam ab Educatore puerili. Nisi quis credat ista exempla, quae ab alijs afferũtur, figurate esse dicta, & ad syntaxin pertinere figuratam. Gerundiorum Constructio ad syntaxin Participiorum pertinet: sicut & supinorum. Nam utraque sunt participia: haec quidem praeterita passiua, illa uero futura Passiua; quemadmodũ in Etymologia docuimus. Sed uideamus tamen, an satis commode & scite a nostris hominibus proponantur istae Regulae in hac syntaxi. Casus Gerundiorum isti non enumerant omnes, & quae Nominatiui sunt casus, ea uocant ipsi Gerundia Accusatiui casus, significantia necessitatem; ut, moriendum est omnibus. Sperandum est uobis. At nemo sanus potest hoc Gerundium, pro casu Accusatiuo agnoscere. Nam hoc est contra naturam uerbi substantiui, a quo dependet Gerundium. Sicut enim dico, per Nominandi casum, Seruitum est tempori; ita quoque dico, per eundem casum, Seruiendum est tempori. Hoc qui non uidet, is fateatur, se in re Grammatica esse quadrimulo puero indoctiorem. Valde autem miror, quid Compendiario & puerili Educatori in

mentem uenerit: ut ex participio faceret Nomen. Etsi enim Participia more Nominum Adiectiuorum cum suis substantiuis construuntur: nō autem more participiorum, quae sua natura casum sui uerbi retinent: tamen non sunt ideo pro Nominibus habenda. Dabo exemplum. Nullus ad amissas ibit amicus opes. Vbi hic est casus uerbi amittere. Mos gerendus est patri. Vbinam, hic est casus uerbi gero? annon dicimus, oportet gerere morem patri? Quid ergo? an dicemus, illa Participia, non esse Participia: sed nomina, & quidem nomina facta ex Gerundiis? an non ista exempla pertinent ad Primam Regulam de Syntaxi Nominum? Vides ne iam, compendiosissime puerorum educator; uides ne, in quas te angustias, cum tua Regula, plusquam superuacanea, redigam. De ordine sum antea conquestus, quod neque Erotematici populares, neque Compendiographi pueriles, seruarint ordinem in Syntaxi. Nam utrique Syntaxin Gerundiorum, & Supinorum, transferunt a sede Participiorum, ad sedem uerborum: alteri post traditam hanc Gerundiorum Syntaxin, proponunt demum regulas, de uerbis mercandi, de Nominibus Temporum, de Nominibns Mensurarum, & Spatiorum: de Nominibus Locorum, & Vrbium: Alteri uero post eandem Syntaxin demum tradunt Syntaxin Pronominum. Sed priores illi sunt omnium ridiculosissimi: qui Regulas e Syntaxi Nominum transponunt in Syntaxin uerborum. Verbi gratia: Mensurarum casus Accusatiuus est: ut,

muri

muri ducentos pedes alti. Radix longa triginta pedes. Nucleus crassus sex digitos. Quis non uidet hos Accusatiuos esse iunctos cum Nominibus, non cum uerbis? Exempla haec: Staturae quinque pedum & dodrantis fuit. Asseres pedum duodecim cuspidibus praefixia. Hec, inquam, exempla pertinent ad regulam de uerbo Substantiuo, significante Qualitatem rei. ut, Asini sunt corporis amplissimi, ceruice ualida. Ingenui uultus puer, ingenuiq. pudoris. Nam in his uerbum substantiuum saepe ἐλλειπτικῶς omittitur. Reliqua est, in uerborum Syntaxi, Impersonalinm constructio. Sed, quia iam saepe dictum est, nulla esse uerba Impersonalia: & eandem esse horum uerborum Syntaxin, quae est aliorum uerborum, quae isti uocant, Personalia: iccirco nolo hic Cramben apponere: Sed leui saltu ista omnia transsiliam.

De Syntaxi Participiorum, & Reliquarum Dictionum. Cap. III.



IN Syntaxi Participiorum, praeter ea, quae supra reprehendi, nihil fere hic occurrit: praesertim in isto compendiosissimo dispendio, seu compendio, quod Educationi puerili nimis pueriliter subseruit. Sed in syntaxi Aduerbiorũ nõ pauca occurrũt, quae reprehensione nostra sunt dignissima: ut est regula, de en, & ecce: cum nominatiuo, & accusatiuo: Nã,

hae

hae dictiones non ſunt Aduerbia, ſed Interiectiones. Item, Regula de Vt, pro poſtquam, nimium ſpeciaria. Poſſum enim de alijs quoque uoculis quamplurimis, inſtituere regulas particulares prope innumeras. Ceterum Regula de Aduerbijs interrogandi eſt manca & mutila. Nam, quando infinite ponuntur iſta aduerbia, poſtulant ſubiunctiuum; ut, Miror cur non prodeas. Neſcia, quare negaueris. Dubito, an uideas, an ſentias. Exemplum uero ſequentis Regulae, quá appoſitum eſt? quam accommodum? Declarandum erat, quomodo Aduerbium Temporis, aliquando, poſtulet ſubiunctiuum. Hic educator puerilis, dum ſuo ſtudet compendio, hoc exemplo rem declarat: Si omnia ſimul conceſſeris. At ſimul hoc loco, neque temporis habet ſignificationem, neque ſubiunctiuus iſte pendet ab Aduerbio, ſed a Coniunctione ſi. Iudicent de hac re omnes eruditi. Ego exempli loco po ſuiſſem illud Horatii; At ſimul aſſis Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis; Dulcia ſe in bilem uertent. In Coniunctionum ſyntaxi & uetuſtior, & uenuſtior eſt Regula, quae in quaeſtionibus affertur ſecundo loco, de Vt coniunctione Cauſſali. Hanc Compendiographus male educatus educator, male obtruncauit: dicendo, pro tertia ſua Regula: Quamuis, licet, ut, Coniunctio cauſſalis ſubiunctiuis adhaerent. Praepoſitionum ſyntaxin alter ſic inchoat, quaerendo, percunctando, interrogando, ſciſcitando: Quid habes, inquit, praeter ea, quae ſupra tradita ſunt de Conſtructione Prae-

poſitionum:



positionum ; alter uero sic claudit. Sed de harum omnium constructione plenius est dictum in Etymologiam. Euge, cate, lepide, bene, nequiter, euge, beate. An enim decuit pulmones de syntaxi Praepositionum, uos in Etymologia rumpere? An hoc est munus Grammatici tradere praecepta faciendae orationis : ubi dicendum est, de significatibus dictionum ? Defatigatus sum hoc labore, quem in abstergendis tot sordibus insumpsi: quas nouelli Compēdiographi, Arti Grammaticae adsperserūt. Ac, nisi ego Strigilem meā cote Ciceroniana prius acuissem, fieri non potuisset, quin aliquot dentes eius in tam hirta & crassa immunditie, atque inueterata prurigine confregissem. Nūc, priusquam ad tertiam huius operis partem perueniam, dicam etiam de Figurata Syntaxi.

De Syntaxi Nominum, & Verborum Figurata. Cap. IV.

SYNTAXIN Nominum, & Verborum Figuratam, confudit, & uno in loco proposuit Quaestionum Grammaticarum compilator. Melius sapuit alter, qui utramque a communi & simplici syntaxi seiunxit. Sed in eo peccauit, quod figuras nominum a figuris uerborum non separauit. Nos ergo ordinem sequemur, quem illi tenuerunt: &, siquid occurrerit dignum reprehensione, id sane repre-

reprehendemus. Sed proh Deum, quem ſequar, aut fugiam? Alter enim ſic enumerat figuras: ut ſint Appoſitio, Euocatio, Syllepſis, Zeugma, Prolepſis, Syntheſis, Antiptoſis, Synecdoche. Alter fere inuerſo ordine, ſic: Syntheſis, Zeugma, Syllepſis, Prolepſis, Synecdoche, Antiptoſis, Enallage, Euocatio, Appoſitio. Suum cuique pulcrum eſt: & magna Grammaticorum libertas, qui pro ſuo arbitrio in aciem collocant ſuos milites. Euocationem nullam eſſe docuit Scaliger duobus locis libri ſui, de cauſſis Linguae Latinae, cap. 77. & cap. 178. Omne, inquit, nomen cuiuſuis perſonae eſt, ſed non uariatae. (ut, Cicero uigilo, Cicero uigilas, Cicero uigilat.) Sicut felix, cuiuſuis generis eadem uoce. Ridiculum enim eſt Caeſarem in me eſſe perſonae Tertiae. Numquam enim loquens, aut ſcribens de me, eſſem perſonae primae &c. Ad primam igitur Regulam, de Syntaxi uerborum pertinent iſta exempla: Annibal peto pacem: Cotta conſul facio. Scribimus indocti, doctiq. poemata paſſim. Tum demum noſtra bona homines intelligimus, &c. Syllepſis, Latine conceptio eſt, non comprehenſio. Huius ſpeciem faciunt, cum duobus, uel pluribus ſubſtantiuis rerum inanimatarum, ſubiicitur Adiectiuum plurale neutrum. Certe, ſi κατὰ σύλληψιν, ex multis digniori, reſpondet commune Nomen, non uideo, quomodo iſta ſint adiudicanda Sylleпſi. Quomodo enim Neutrum ſit praeſtantius genus, quam uel maſculinum, uel femininum? Malim ego ad uſitatam referre ſyntaxin. Sed nolo tamen

men

men litem, de hac re cum quoquã suscipere. Cetera se rite habent. Prolepsin interpretatur. Scaliger Anticipationẽ: quae totum distribuit in partes: sicut Conceptio, ex partibus totum concipit. & multis unum uerbum tribuit, quod in isto uerbo conceptũ respondet dignissimo. Verum & haec probe est definita a Grammaticis, & probe factam in hac re, a nouiciis, quod ueterũ sententias, praeter morẽ suũ, non deprauarunt. Zeugma Scaligero dicitur, Latine Fugatio: quoniam duo, uel plura uocabula, in unum Adiectiuum, quasi quoddam iugum, coeant. Quare alucinãtur, qui Zeugma exponunt Adiunctionem. Porro autem in Synthesi Generum, nonnihil miror quid educatoribus puerilibus uenerit in mẽtem: quod docent Synthesim fieri in genere, discernendi sexus gratia: ut, anser feta. Valde cuperem mihi dari alicuius probati auctoris testimonium, qui uel fetam, uel effetam anserem dixerit, uel scripserit. Nam, quod ex Cicerone afferunt: Fuit ei moriendum, quia homo nata fuerat: Primum taciti fatentur, Nomen Homo haudquamquam esse Generis communis. Hoc enim esset, nũquam de femella figurate dicerem: Homo nata fuerat. Sed quemadmodum citra figuram Latinus dicit, Vates relligiosa fuit; ita etiam sine figura diceret. Proba est homo, De muliere proba. Quomodo autem Sulpicius dixerit de Tullia, Quod homo nata fuerit: id supra est explicatum. Antiptosin non esse peculiarem figuram, constat multis rationibus. Primum enim exempla, quae

afferuntur,

afferuntur, ad syllepsin casuum pertinent. Deinde, non pauca ad Enallagen casuum. Miror autem, cur alteri ad syntaxin usitatam referant exempla haec: Acceptum refert uersibus esse nocens. Item, tutumq. putauit iam bonus esse socer. Nam, ubi de Constructione Infinitiui Esse agitur, ibi haec eadem exempla reperies. Alteros uero miror, cur per Antiptosin dictum affirment, Opus est dicto, pro, dicere. Tacito opus est, pro tacere. Haec enim usitate dici, nemo non uidet. Sicut & haec sine figura dicuntur, Toruum tuetur, pro torue: nisi dicas, esse Antimeriam. Scire tuum, pro scientia tua, pertinet ad primam regulam de Verborum syntaxi, ubi iterum est Antimeria, nempe Infinitiuus uerbi, pro Nominatiuo Nominis. Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas? Graecismus est, non Antiptosis. Nam Graeci dicunt μάχομαί σοι; Latini, certo tecum. Sic: it clamor caelo. Datiuus est hic quidem, sed nullam passus Antiptosin. Pendet enim a uerbo Eo, quod habet hic quandam tribuendi significationem: ut, cum dicimus, Cedo tibi. Et, ut maxime alium hic esse Metaplasmum, non infitiemur, tamen antiptosin esse, non concedimus. Enimuero & hoc est perquam inconcinnum, & in Erotematico compilatore nequaquam ferendum: quod ex duobus ablatiuis, modum, uel instrumentum significantibus, facit ipse duos Datiuos in hoc exemplo: Exigui numero, sed bello uiuida uirtus. Si enim quaeram ex te: quomodo sunt exigui cor-

pore


pore an uiribus: tu autem reſpondeas, numero ſunt exigui: an non reſpondiſti per Ablatiuum modi, uel inſtrumenti, uel etiam cauſſae? Item ſi quaeram, quomodo uirtus militum eſt uiuida, & ſi tu reſpondeas, bello eſt uiuida, tamquam cauſſa & ſtimulo uirtutis, an non aperte reſpondiſti per Ablatiuum Inſtrumenti? Enallagen Educatores Compendioſuli prorſus omittunt: Quaeſtionarij compilatores duas tantum ſpecies afferunt, & alteram quidem falſam. Neque enim per Enallagem dicitur hoc: Amantium irae amoris redingratio eſt: neque hoc: Vror, & inſidiae ſunt pudor ille meae. Nam uerbum ſubſtantiuum poſitum inter duos Nominatiuos, tam praecedenti, quam ſequenti poteſt reſpondere in Numero. Sic enim licet ordinare orationem: ut, quod tu habes pro praedicato, id poetae ſit ſubiectum. Amoris redintegratio eſt irae amantium. Item, inſidiae meae ſunt, ille pudor. Sic dixit Ouid. Gaudia principium noſtri ſunt ſaepe doloris. Et Martialis:

Alea parua nuces, & non damnoſa uidetur:
Saepe tamen pueris abſtulit illa nates.

Ceterum illud: Gens uniuerſa Veneti appellati? an non pertinet ad ſyntheſin? Qualis & illa eſt: Pars merſi tenuere ratem. Virg. Atque haec de Figuris. Transeamus nunc ad alia.



TRACTATVS TERTII



De Orthographia, & Prosodia Grammaticorum. Cap. I.



POSTQVAM Compendiographi pueriles suā absoluere syntaxin nihil tradunt, more aliorum, de distinctionibus, nihil de Prosodia, nihil de pedibus, nihil de uersuum generibus diuersis. Credo ego illos animaduertisse, non esse Grammaticae Methodi, demum post Syntaxin tradere rationem pronunciandi syllabas: aut prius docere, quo modo orationem cōponas, quam quomodo eam legas aut apte pronūcies. Sed, quamquam hoc obseruarunt isti non recte fieri: tamen nihilo melius fecerunt, quod neque de Orthographia, neque de Prosodia ullum praeceptum, aut Regulam nobis tradiderunt.

Primum

Primum igitur reprehendenda eſt in alteris negentia, quod caput de diſtinctionibus reſeruarunt poſt locum de ſyntaxi. Etſi enim ratio diſtinguendi paullo eſt difficilior, ſiquis ad Periodicam compoſitionem reſpiciat: tamen notas interpunctionum, ad Orthographiam pertinere nemo ſanus infitiabitur. Deinde, cum multa accidant uocalibus, diphthongis & conſonantibus, cauſſa ſcriptionis, nihil iſti compendioſi educatores commonuerunt ſuos pueros, de iſtis accidentibus. Quo fit, ut recta ſcribendi ratio a paucis obſeruetur: & pro re minimi momenti paſſim in ſcholis hodie negligatur. De Proſodia alteri magis muti fuerunt, quam piſces: alteri cicadis & ramis loquaciores. Equidem proſodia, quo ad Grammaticum nihil aliud docet, quam accentum, hoc eſt, docet rationem attollendi uel deprimendi ſyllabam: item producendi, uel corripiendi: poſtremo, eandem uel attenuandi tenui ſpiritu, uel addenſandi denſo ſpiritu, atque afflatu. Cum autem ratio producendi & corripiendi ſyllabas, hodie ſit diſcenda e poetarum carminibus: ideo Grammatici eſt officium, ut doceat puerum ſaltem praecipua aliquot genera carminum, non conficere: ſed in ſuos pedes, & pedes ipſos in ſyllabas retexere: atque ita cuiuſque ſyllabae Quantitatem perueſtigare. Hoc ſi faciat Grammaticus, ad eum modum, quem nos illi praeſcripſimus: ſane officio probe fuerit perfunctus. At uero rationem praeſcribere faciendae orationis numeroſae, & poeticae: non eſt


Grammatici, sed Rhetoris, aut potius perfecti oratoris. Nam, & Oratoris oratio, suis insistit pedibus, suosq. habet numeros, & certa syllabarum interualla. Quare peculiarem de poetica facultate librum scripsit Aristoteles: & multa, ad Poesin pertinentia, etiam Cicero in suis Oratorijs praeceptionibus utiliter complexus est. Vbi tamen neuter egit Grammaticum: sed uterque Oratorem, seu Rhetorem perfectum. Quod ideo monemus, ut retineamus Grammaticellos nostros intra fines, & metas sui officij. Plerumque enim praepostera utuntur ratione, in educandis pueris: docendo prius carmen facere, quam puram orationem construere. Quae uero ad Poetam pertineant, si nesciunt Grammaticelli, legant Iulij Scaligeri, de re Poetica libros: sed ita legant, ne, non intelligendo, negligant. Eiusdem farinae est, quod rerũ ordine inuerso, figuras Orthographiae ad calcem totius Grammaticae artis reijciunt tamquam nullo loco commodiori de ijs possint praecepta tradere. Verum de his hactenus, Transeo nunc ad definitiones Nominum, seu uocabulorum Artis: quae passim occurrunt. Nam supra ostendi Grammatico definitore nihil esse infelicius. Percurram autem exempli caussa solam Etymologiam: &, quas illi uocant partes Orationis: Ostendamq. nullam dictionis speciem ab illis esse recte definitam: nullam in suas differentias probe, uel diuisam, uel subdiuisam, nulli denique parti Orationis sua accidentia uere esse assignata: &

quae

quae illi assignant, ea neque iusto ordine esse enumerata, neque (ut hucusque docuimus) apte pertractata.



APPENDIX
DE
GRAMMATICORVM
DEFINITIONIBVS
&
DIVISIONIBVS





OMEN definit Donatus, (quisquis ille tandem est, qui nomẽ Donati uulgatissimo, & futilissimo libello praeposuit) quod sit pars orationis, rem aut corpus proprie, communiterue significans. Tot errata hic sunt, quot uerba. Nomen enim, quoad rem significat, & quoad rei alicuius est nota, nõ recte dicitur pars orationis. Nam Nomina, & Verba, quatenus sunt partes Orationis, seu interpretationis animi, eatenus non per se considerantur, & quoad per se aliquid

quid significant, sed per accidens: ut sunt partes materiae, siue subiecti: & quoad sese submittunt Constructioni. At in Etymologia per se considerantur Nomina, Pronomina, Verba, & aliae Dictionum species: quoad per se aliquid significant: nẽpe, quoad rerum, in mente conceptarum, notae sunt, per casum, aut tempora uariabiles, aut inuariabiles. Quare falsum id est, & remotum Genus, quando Nomina, Pronomina, Verba, Aduerbia, Praepositiones &c. dicuntur partes orationis: cum sint dictiones, & diuersae dictionum species. Consimilis huic, & illorum est ineptia, (ut etiam hoc obiter attingam) qui litteram, & syllabam, pari modo ex partibus materiae definiunt. Dicunt enim syllabam esse comprehensionem litterarum: & litteram, esse minimam partem dictionis compositae. Vtraque definitio falsitate laborat. Nam str litterarum quidem est comprehẽsio, sed tamen non est syllaba. Et in uoce Beatus, b est minima quidem pars totius uocis, sicut & e: sed tamen non est simpliciter littera. Si enim pronuncies b, nihil differt a be, prima dictionis Beatus syllaba: & si e proferas, incertum mihi erit, utrum intelligas praepositionem e, an secundam litteram in nomine beatus. Sic in dictione amo, a, est quidem minima pars dictionis: sed non est simpliciter littera: cum possit etiam esse syllaba, & quidem ualere praepositionem a: sicuti & i, Imperatiuum ab eo: & o Interiectionem. Atque hoc nomine feliciores sunt Latini, Hebraeis,

& Graecis, quod ſoli ipſi una uocali, & ſyllabam, & dictionem poſſint efficere: ut I modo, i inquam. Nam, quantum ad u attinet, norunt omnes docti geminum ibi eſſe ſonum, ſed obtuſum, factumq. ex Graeca Diphthongo, ου. Rectius igitur definietur littera, quod ſit minima pars dictionis ſcriptae: quandoquidem litteram, quatenus eſt littera, nemo poſſit pronunciando efferre: & Syllaba rectius dicetur eſſe minima pars dictionis prolatae: cum nihil pronunciari poſſit, niſi ſit uel dictio, uel ſyllaba. Quinimmo ſyllaba per ſe effertur, dictio uero propter ſyllabas. Sed redeo ad Nominis definitionem, a Donato traditam: in quam dicit nomine ſignificari rem, aut corpus. Quaſi uero corpus non ſit res, aut quaſi rem a corpore ſic deceat diſtinguere. An non enim omne corpus eſt res? &, ſi nomen omnem rem permanentem ſignificat: an non etiam corpus, ſiue rem corpoream ſignificabit? Et quid illud eſt, proprie communiter ue ſignificans. Sane quodlibet nomen id, quod eſt, uel eam rem, cuius nota eſt proprie, non autem communiter, ſignificat. Vt, Homo, equus, animal proprie ſignificant id, quod eſt homo, quod eſt equus, quod eſt animal. Sed bonus alioqui uir Donatus non animaduertit, aliud eſſe, cum dico: Tiberis eſt nomen proprium, ſeu ut Dialectici uocant, indiuiduum uocabulo aptiori: &, Tiberis ſignificat proprie fluuium illum Latij. Item, Homo eſt nomen commune: ſed proprie ſignificat hoc ipſum, quod eſt, nempe, commu nem quandam rationem eſſentiae, ſeu uniuerſita-

tem illam, quam ego, & tu, & ille poſſumus ex aequo omnes dici homines. Aliud enim eſt, eſſe nomen proprium, & aliud eſt, ſignificare proprie. Dicat aliquis definitionem Priſciani eſſe hac Donatiana meliorem. At ego illi reſpondeo, quod nulla re Priſcianaea definitio Donatianam ſuperet, niſi paene nouis erroribus. Nam ſic definit Nomen Priſcianus: quod ſit pars orationis, quae unicuique ſubiectorum corporum, ſeu rerum communem, uel propriam qualitatem diſtribuat. Primum, hic ijdem ſunt errores, qui in definitioue Donati committuntur. Deinde noui adduntur, quando ſignificatio, (qua nomen uel proprium, uel commune eſſe intelligitur) diciter Qualitas, & quidem a Nomine diſtributa rebus ſubiectis. Nam, ſignificatio eſt Forma dictionum, non Qualitas: ſicut alibi dictum eſt. Neque enim homo, & Caeſar differunt Qualitate, (ut ait Scaliger) ſicut nec album ab homine differt qualitate: ſed differunt eſſentia. Quomodo autem Nomen, ut eſt nota rei, animo impreſſa, poſſit diſtribuere Qualitatem rei ſubiectae: id Priſcianus uiderit. Nam, ſi hoc abſurdum non eſt, certe ita obſcure dictum eſt, ut Delio natatore indigeat. Quod, ſi quis Linacri definitionem proferat, inueniet eam nihilo, aut paullo, eſſe meliorẽ. Nam & idem genus aſſignat Nomini, quod ceteri: & quamquam ueriorem, magisq. propriam differentiam ſubiungit: tamen maiori abſurditate totam finitionem grauat. Ait enim, quod Nomen ſignificet aliquid, ſine certae perſonae aſſignificãtia.

Hoc si ita est, omnes uocatiui casus erunt incertae personae; &, quando Ciceronem alloquitur Cato, dicendo ei: O Cicero uigila: tum incertam personam alloquitur: nescius, quo cum homine uerba conferat. Hoc autem, quam absurdum sit dictu, nemo non uidet. Tam enim nomini accidit, ut personam significet, quam Pronomini, & Verbo, quae personam certam magis consignificant, quam significant. Sed de hac re euidenter diximus in nostris Grammaticis. Superest Germani definitio: qui nomen sic definit: quod sit pars Orationis: quae rem significat, non agere aliquid, aut pati. Primo definitionis inconcinnae sunt, in quibus differentia specifica non ponitur, affirmatiue, & definite, sed negatiue, & indefinite. Nam etiam Pronomina significant rem: sicut & uerba quaedã: quae tamen non significant agere aliquid, aut pati: ut, Verba substantiua. Vt, cum Verrem praesentem accusat Cicero, dicitque, Iste est fur. Ibi pronomen Iste rem significat, nempe uirum illum, seu hominẽ astantem. Est.n. demonstratiua rei praesentis nota Pronomen, Iste. Neque interim aut agere, aut pati significat. Sic & uerba substantiua rem significant, nempe Essentiam; ut, cum dico: Caesar est: his neque actio, neque passio connotatur. Quid ergo? an propterea haec erunt dicenda Nomina? Nolo reliquarum specierum, ut Pronominis, Verbi, Participij, Praepositionis, Aduerbij, Coniunctionis, & Interiectionis definitionis examinare, quas illi homines assignant. Nimis.n. prolixum foret, omnia excu

tere. Vnũ hoc oro uos omnes, & singulos lectores: ut aliorum definitiones cum nostris diligenter conferatis: &, utri ex nobis magis consentaneus rerum naturae definitiones afferant, apud animos uestros studiose expẽdatis. Quid enim absurdius est, quam idem Genus assignare Participio, quod Nomini a uerbo deriuato? quid inconcinnius, quam de Aduerbio dicere, quod una uoce efferat circumstantiam actionis, aut passionis? quid enim? an haec proprietas non etiam praepositioni competit? Quid uero tã ridiculum, quam de Praepositione dicere, & quidẽ definiendo, quod sit propemodum articulus, uerbo Nomen adiungens, quod aliquã facti circũstantiã significat? Nam quid hoc generis est, quod Praepositio dicitur propemodũ articulus. Nihil enim uel cognationis, uel affinitatis habet Praepositio, cum Graecorum articulo. Quod si intelligunt isti, per articulum, communem quendam nexũ, Metaphorice sic dictum: uideant primum, an Metaphoris utẽdum sit in definitionibus: deinde an non magis ista Metaphora Coniunctioni, quam Praepositioni conueniat. Excutite uero etiam reliquas huius definitionis particulas, & statuite nihil in iis peccatũ, cõtra leges bonae definitionis: deprehẽdetis perfecto potius & hanc Philippicã, & Donatianã praepositionis definitionẽ cõpetere Aduerbio, quã praepositioni. Nã Aduerbij haec est proprietas, ut Nomini, & uerbo aliquã qualitatẽ adiungat: & utriusque significationem, uel augeat, uel minuat, uel mutet. Quorũ nihil in cõstructione uocũ praepositioni cõpetit.

Nam,

Nam, quod dicunt isti, Praepositionem in mutare significationem iustus, cum dico, Iniustus: id non est tribuendum Praepositioni, quoad est cum alia uoce constructa; sed quoad est cum Nomine composita. Nam compositio inter alia hoc habet, quod significationem simplicis mutat, sicut & in pronomine; ut, cum dico, quisque, nihil interrogo, sed tantum affirmo; sed cum dico, quis? nihil affirmo, sed tantum interrogo. Quam autem rudis, & incondita sit definitio, qua Interiectio definitur esse sonus inconditus, an hoc non satis demonstrauit Caesar Scaliger? Et quis obsecro possit inter uoces discernere, & certo scire, an deinceps, praeterea, denique, quoad, eatenus, nimirum Aduerbia sint potius, quā Coniunctiones; Item, an uter, & quis nomina sint, an uero pronomina: nisi proprietates uocum, ex ueris, & genuinis illarum definitionibus habeat recte cognitas, & perspectas? Sed accedo ad diuisionem Nominis in suas species. Nomen diuidunt isti principaliter, in proprium, & appellatiuum: & appellatiuum rursus in Substantiuum, & Adiectiuum. Quid quaeso hoc est tumultus in uestibulo artis Grammaticae? An nō propria nomina aeque substantiua sunt, atque appellatiua? An propria haec a Prima Regula Syntaxeos sunt excludendā? an non perinde, ut alia substantiua cum Adiectiuis construuntur? Deinde Appellatiuum distinguunt a Proprio, perinde ac si propriis nominibus nihil appelletur. Nam, si propriis nominibus aliquid potest appellari, ut uerbi gratia, uir aliquis, aut mulier,

lier, aut mons, aut fluuius, aut urbs: cur quaeſo nõ
etiam propria dici queant Appellatiua? Et quis
tam alienus eſt a litteris, qui neſciat Proprio oppo-
ni id, quod eſt Commune? uerũ, obſecro uos, quae-
nam ſunt iſta definitionum portenta: quod Sub-
ſtantiuum definiunt, id eſſe nomen, cui non poſſit
addi uir, mulier, animal. Adiectiuum uero id eſſe,
cui haec poſſint addi? Si Democritus hodie in ſcho
las Grammaticorum rediret, & iſta pueris inculca-
ri audiret: ſane a priſtino ſuo riſu temperare ſibi
non poſſet. Adeo enim iſta ſunt inepta, adeo ab o-
mni Latinitatis ratione aliena, ut ſuo indicio, ſuam
temeritatem, atque inſcitiam perdant. Equidem
definitiones Nominum a forma, id eſt, a proprio, &
ſpecifico ſignificatu ſunt petendae: ſicut iam ſaepe
diximus. Nã aliud ſignificat Nomen ſubſtãtiuum,
aliud ſignificat Adiectiuum. Itaque ſignificatio u-
triuſque generica fuit ponenda in Definitione, non
neganda, neſcio quae, improprietas. Dicat forte ali
quis, melius ita conſultum pueris. At ego poſtea
oſtendam, peſſime ſic, in hunc uſque diem, ſtudiis
pueritiae fuiſſe conſultum. Quod enim tam diffi-
culter apprehendunt pueri Syntaxin: & quod tam
tarde ueniunt ad compoſitionem, & cõſtructionem
orationis: quod denique aegre praecipiunt doctri-
nam Praedicabilium, & Praedicamẽtorum: id nul-
lam fit ob aliam cauſſam: quam quod Nominum,
& uerborum ſignificatus non probe didicere ex Ety
mologia: & quod pro ueris falſiſſima, & nugaciſſi-
ma indoctorum Grammaticorum commenta arri-
puerunt.

puerunt. Haerent enim acrius in memoria, quae in prima pueritia male ſunt percepta. Sequitur uerbum, quod iſti diuidunt in Perſonale, & in Imperſonale. Hanc diuiſionem eſſe falſam, luculenter demonſtrauit Caeſar Scaliger cap. 184. libri ſui de cauſſis linguae Latinae. Ad quem ego ſtudioſum ueritatis lectorem remitto: ne, ſi argumenta illius uiri operoſe repetam, uidear doctis & eruditis uiris cramben biſcoctam uelle apponere. Rectius diuiditur Verbum in Actiuum & Paſſiuum: Actiuum rurſus in Tranſitiuum, & Ablatiuum, ſeu Neutrum. Rectius utrique horum dicitur cognatum Deponens: & paſſiuo cognatum Neutropaſſiuum. Nam, qui ſic diuidit uerbum, is perfecte diuidit. Sed, quid mirum ſit tamen noſtros Grãmatiſtas, neque recte definiuiſſe, neque recte diuiſiſſe ſpecies dictionum: quando ne artem quidem ipſam recte definiuerunt; neque fines illius probe conſtituerunt? Quid enim eſt hoc uerbi: quando dicunt iſti, Grammaticam eſſe certam loquendi & ſcribendi rationem? An non Grammatica eſt ex numero artium uel ſcientiarum? Et, ſi eſt, cur quaeſo ſuum ei genus non tribuunt? Aut, quis tam remotus eſt a diſciplinis, ut neſciat artem non eſſe ipſam uim, & rationem aliquid efficiendi, ſed monſtrare ſolum uiam & inuenire media, quibus ad finem illius artis poſſit perueniri? & cur iſti rationẽ ſcribendi attribuunt Grammaticae? An ignorant, quod uoci accidat, ut ſcribatur? Neque enim aliter ſcribere, quam loqui debemus. Et quae haec

inſcitia eſt, diuerſimodas actiones, & quidem ab una parte promanantes, & uni habitui ſubſeruientes, appellare partes? Quaſi uero habitus alicuius ſcientiae, aut alicuius artis, tamquam totum, poſſit diuidi in partes? An nondum intelligitis, quam imperitum artis dialecticae ſit hoc uulgus, qui non ipſi tantum hodie uolunt eſſe Grammatici, ſed alijs quoque huius artis praecepta tradere? Age uero feriam ego illos adhuc propius. Nam oſtendam proprios dictionum quarumuis affectus, quos illi uocant accidentia, neque recte ab illis enumerari, neque probe tractari. Nomini, & Pronomini Donatus attribuit Qualitatem, tamquam Accidens. At cur non etiam uerbo & & Aduerbio? Nam etiam de uerbo poſſum quaerere: quale ſit uerbum, actiuum, an paſſiuum: & de Aduerbio, quale ſit Aduerbium, Loci, an Temporis? & de Coniunctione, qualis ſit Cõiunctio, Copulatiua ne, an Diſiunctiua: & de praepoſitione, qualis ſit praepoſitio. Localis ne, an Temporalis, an Cauſſalis, an Priuatiua, an Comitatiua. Verum ſupra oſtenſum eſt a nobis, falſo dici Qualitatem, quae ſit forma dictionum, nempe ipſa ſignificatio, qua res quaelibet id eſſe intelligitur, quod ſecundũ ſuam dictionem, ueluti notam, eſſe exprimitur. Comparationem quoque affingunt Nomini: cum tamẽ haec neque omni Nomini, neque omni Adiectiuo competat: ſed fere ijs tantũ, quae ſignificant, uel Qualitatem, uel Quantitatem continuam; ut magnitudinẽ, longitudinem, latitudinẽ, altitudinẽ.

Atque

Atque haec caussa est, quod Priscianus, & qui illũ meliori iudicio sequuntur, Comparatiuum Nomen & Superlatiuum, faciunt species nominis. Quid uero, quod ne apta quidem definitioue declarant Comparatiuum, per uocem magis, & Superlatiuum, per uocem maxime, siue ualde? Etsi enim has nebulas Grammatistarum iam olim discussit L. Valla: tamen illi adhuc ineptire non desinunt: & semel arreptos errores pertinaciter, & mordicus retinere pergũt. Et quid hoc est rei, quod in Enumeratione Accidentium Nominis omittunt speciem: quam tamen postea tot Quaestionibus, & Regulis proponunt? Persona uero quam perperam ab illis negligatur, & quam fraudulenter Nomini auferatur, non ne hoc duobus, tribus ue integris capitibus, demonstrauit Scaliger? Venio ad genus, quod dicunt isti esse discretionem sexus. Pessime scilicet. Genus enim non semper discernit, distinguitq. sexum: idq. ob paenuriam uocabulorum, sunt enim res plures, quam uerba. Sequitur Verbum: cui pro primo Accidente tribuunt Genus: idq. definiunt, quod sit significatio uerbi: distinguuntq. in Actiuum, & Passiuum, Neutrum, Deponens, & Commune. Rursum in Participio, hoc accidens non appellant Genus, sed significationem: eamq. finiunt, quod nihil aliud sit, quam genus in uerbo. Audax & imperiosum genus hominum sunt Grammatici: qui, quia imperium habent in pueros, credunt sibi idem licere in Grammaticam, ut eã pro sua libidine sursum deorsum agant,

& in-

& insuper flagris ad necem usque deuerberent. Nam, quoties illis libet, dicunt aliquam uocem esse Generis Actiui; & quoties non libet, dicunt rursum esse significationis Actiuae. Quin immo, ut se probos ostendat in definiendo esse Artifices: quoties libet, Genus definiunt per significationem, tāquam notius uocabulum, & quoties nō libet, significationem rursus definient per genus, tamquam per uocabulum adhuc notius. Praetereo alia innumera, quae partim ante refutauimus, partim Scaliger improbauit. Nam ex his a me commemoratis, spero satis constare, quod nostri Grammatici multa scripserint temere, multa inscite, plurima inepte, pleraque inconsiderate. Quapropter omnes Latinitatis studiosos amatores, praesertim uiros doctos, tota animi cōtentione hortor, & moneo: ut, quae a me, contra ineptias Grammaticorum, uere sunt dicta, atque disputata: ea sincero animo accipiāt: & suae pueritiae studia ad eam normam, quam ueriorem, & meliorem esse deprehenderint, posthac dirigant. Quod cum fecerint, magno cum pueritiae suae fructu, magnoq. cum studiorum puerilium progressu, se fecisse, manifesto, & breui experientur.



INDEX CAPITVM



TRACTATVS . I

TRACTATVS . II

TRACTATVS. III


APPENDIX







INDEX. RERVM
ET. VERBORVM



A

D

E

F

G

H

I

L

M

Metuere

Nominis

S

Verbum,

123

Emendanda.

11. 20. tam tu. 12. 18. num nonne. 18. 6. quam qua. 19. 2. tantundem tantandem. 19. 21. ſolent ſolet. 19. 27. uideatur ui dentur. 22. 23. nominatiua nominatiuo. 24. 13. Vt Et. 26. 2. uocatis uoculis. 26. 17. an ante. 27. 26. Cicenis Ciceronis. 28. 17. eſſe eſt. 30. 18. omittunt committunt. 33. 27. ſpiritum ſpiritu. 34. 21. num nunc. 36. 11. commonſtrare commonſtrari. 37. 26. gemina genuina. 38. 23. formatis formabis. 39. 28. Epithetor Epitheton. 40. 24. efficior afficior. 41. 11. analogia analogiae. 43. 24. us ns. 44. 17. uertis uerbis. 47. 2. Quae Quas. 48. 30. certe, cur certe eſt, cur. 50. 3. Num Nam. 50. 7. ſubijcimur ſubijcimus. 50. 23. numeti numeri. 51. 17. Imprdens Imprudens. 52. 15. abſque; abſque? 52. 20. Praepoſitioni. Praepoſitioni? 52. 25. placraſque pleraſque. 53. 23. cum com. 56. 19. ut ſolum ut, Solum. 59. 9. refecunt referunt. 66. 28. nouiciarum nouiciorum. 69. 19. iſtum iſtam. 69. 20. ediſceri ediſseri. 70. 22. uiſus riſus. 70. 28. num nunc. 73. 3. finita finito. 79. 16 attulere attulero. 81. 4. ſecundum ſecundam. 81. 22. eum cum. 85. 6. praefixia praefixi. 85. 6. Hec Haec. 87. 3. Etymologiam Etymologia. 89. 10. Fugatio Iugatio. 89. 23. femella figurate femella. figurate. 91. 11. redingratio redintegratio. 93. 1. negentia negligentia 93. 14. ramis ranis. 100. 29. definitionis definitiones. 101. 3. conſentaneus. conſentaneas. 101. 24. perfecto profecto. 102. 25. excludendā excludenda. 103. 13. perdant prodant. 103. 25. praecipiunt percipiunt. 107. 5. oſtendat oſtendant.

---

ua. 19. 2.
ideatur ui
. 26. 2.uo-
iis.28. 17.
n spiritu.
ri.37. 26.
Epithetor
logiae.43.
8. 30. cer-
ur subiici-
udens. 52.
oni⁹ 52.25.
um ut, So-
uicioru,
uisus risus.
rulero.81.
ia praefixi.
. Fugatio
redingra-
mis ranis.
contenta-
ludenda.
t.107.5.

